Vol. III. — Fasc. II. 6 novembris 1927.

MEMORABILIA SOCIETATIS IESU

Ad usum Nostrorum tantum

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

II.

IULIO-OCTOBRI 1927.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI:
P. XTI.

Quadrimestrium libellorum inchoatam seriem ut persequamur, quod aestivis mensibus totius Societatis negotium fuit, hoc in primis commemorandum venit: triennalem dico Procuratorum Congregationem.

Congregatio Procuratorum.

1. — Litteris die 8 decembris 1926 ad omnes Provinciales datis indixerat Pater Noster hanc Congregationem in diem 26 septembris huius anni, ut postridie, in anniversario primae Societatis confirmationis, primus conventus haberi posset. Statuto die omnes Procuratores a Provinciis electi in Urbe aderant, excepto Procuratore Provinciae Siculae, cui legitime impedito suffectus est eius Substitutus. Triginta quatuor ex totidem Provinciis numerabantur, praeter Patrem Nostrum et sex Assistentes, qui ex officio ad huiusmodi conventus ius habent; quare haec undesexagesima Procuratorum Congregatio superiores omnes, non solum in Societate restituta, sed etiam in antiqua Societate habitas, Congregatorum numero facile superavit; variis anim de causis, numquam ultra triginta tres in antiqua, nec ultra triginta sex (cum Praeposito Generali et Assistentibus) in renata Societate convenire potuerunt.

Ex his triginta quatuor Provinciarum Procuratoribus (nam de Patre Nostro et PP. Assistentibus supervacaneum est id commemorare) decem Congregationi Generali XXVII anno 1923 interfuerant, tres etiam Generali Congregationi XXVI anno 1915 (cui

alius quoque intererat qui a XXVII afuit); immo P. Petrus Finlay e Provincia Hiberniae, qui hoc anno Procuratorum decanus erat, etiam in Congregatione Generali XXV anno 1906 Elector fuit. Septem vero ad quandam e superioribus Procuratorum Congregationibus venerant, id est: idem P. Finlay ad Congregationem anni 1896, P. Carolus Mayer (Prov. Mexic.) ad Congregationem anni 1910, alii quinque ad Congregationem anni 1920. Ad munera autem quod attinet, quibus, quando convenerunt, in Societate fungebantur iidem triginta quatuor Procuratores (ex quibus novem olim Praepositi Provinciales fuerant) duo erant Viceprovinciales (1), unus Socius Praepositi Provincialis, unus Praepositus Domus Professae, tredecim Rectores vel Superiores Collegiorum Nostrorum aut Domorum probationis (e quibus tres erant simul Novitiorum Magistri), quinque Rectores vel Superiores aliarum domorum, duo Instructores tertiae probationes; e reliquis, quidam Lectores theologiae aut philosophiae, quidam aliis non minoris momenti officiis applicati.

Die igitur 27 septembris habitus est primus Congregationis conventus, in quo electus est Secretarius Congregationis P. Ioachimus Diamantes Alberti, Provinciae Venetae Procurator idemque Instructor tertiae probationis Florentinae. Alter Congregationis conventus die 30 septembris habitus est, in quo per secreta suffragia vix non omnium ad unum Patrum sententia Generalem Congregationem non esse cogendam decretum est. In utraque sessione, secundum morem receptum, Pater Noster Procuratores et per eos universam Societatem est allocutus, ut in proximis *Actis Romanis* legere poteritis.

Occasione Congregationis Procuratorum, ex nova proximae Congregationis Generalis facultate, Romam venerunt etiam Relatores Viceprovinciarum et maiorum Missionum, quibus id a Patre Nostro concessum est (2); non tamen omnes eodem tempore, siquidem, cum ii ius non haberent ut Congregationi interessent,

(1) Ne hoc admirationem pariat, notandum est ex his alterum, R.P. Ieremiam O' Callaghan, esse quidem Viceprovincialem in Regione Ohiensi (Prov. Missour.) sed a Provinciali dependere, ita ut vocem passivam in ipsa Provincia omnino habeat non secus ac alii Professi; alterum vero, R. P. Carolum Van de Vorst, esse Viceprovincialem temporarium absente Provinciali (Prov. Belg.), ideoque valuisse in hoc casu illud, de quo in Form. C. Prov. n. 24, 1°.

(2) Cfr. *Acta Rom.*, vol. V, 1925, pag. 291. — Quinam autem et quonam tempore Romam venerint hi Relatores, vide supra, pp. 51-52, et etiam infra, pp. 80-81.

sed tantum ut de sua Viceprovincia aut Missione ad Praepositum Generalem privato colloquio referrent, commodius id superioribus mensibus singillatim venientes praestare potuerunt. Verum nonnulli Relatores iisdem diebus ac Procuratores aderant (1), iisque concessit Pater Noster, ad normam Formulae Congregationis Procuratorum (num. 30), ut allocutionibus a se habitis interessent, itemque ut Summum Pontificem simul cum Congregatis adirent.

Summi Pontificis ad Procuratores allocutio.

2. — Die 1 octobris, ut mox tetigi, omnes Congregati Patres, Patre Nostro praeeunte, quatuor quoque Relatoribus quos dixi et Societatis Secretario ac Procuratore Generali comitantibus, aedes Vaticanas petierunt. Summus Pontifex singulis manum osculandam benignissime porrexit, indicante Patre Nostro unde singuli venissent. Deinde brevi sed peramanter eos allocutus est in hunc fere modum:

Summo sanctoque gaudio Se affici quod filios coram Se videret dilectissimos, qui ex omnibus terrae partibus ad Patrem communem convenissent. Cum vero eos singulos etsi celeriter et velut cursim recenseret, inspicere in eis Sibi visum esse caram, grandem, benemeritam illam, " vestram (inquit), immo Nostram Societatem Iesu universam, in cunctis vel remotissimis orbis recessibus late diffusam „.

Addebat porro cernere Se ac salutare in iis etiam magnos, immensos Societatis labores in Missionibus, in Collegiis, in infinitis propemodum operibus apostolicis ad omne hominum genus iuvandum susceptis. Atque iuxta haec videre innumeras animarum turmas, quae ubique a Societatis sodalibus, pro maxime variis muneribus cuique secundum Providentiae atque obedientiae ordinem assignatis, spiritualem consolationem ac profectum exposcerent.

Quapropter, ne supervacaneis (etsi feliciter supervacaneis) verbis eos moraretur, Se eisdem ipsis ante omnia benedicere, eorumque consiliis et affectibus, cunctisque ipsorum familiis, sodalibus quoque omnibus absentibus, totique Societati, operibus denique universis atque animabus, quae Societatis ministerio uterentur, ut fructu semper uberiore proficerent.

(1) Cfr. infra, pag. 80.

Benedictionem itaque hoc modo impertitus, antequam abiret, haec, quae ad nostrorum Novitiorum consolationem ad verbum refero, ore protulit:

" Laetamur summopere quod, R. P. Praeposito Generali referente, tirocinia vestra floreant tironibusque succrescant. Igitur Domibus probationis omnibus, Novitiisque in eis degentibus peculiari affectu (veteranis tamen haud exclusis) in Domino benedicimus. Nec tantum numero, sed in primis qualitati ac virtuti eorum bene precamur, ut sanctiores in dies Religiosi aptioresque in vinea Domini operarii evadant „.

In colloquio autem quod Beatissimus Pater ante communem audientiam cum Patre Nostro habere dignatus est, institit ne, quamvis Episcopi urgerent (de quo utpote signo magnae erga Societatem aestimationis Ipse gaudet et iure nobis gaudendum est) nimia nova opera susciperemus, immo ut diceremus ipsum Summum Pontificem hoc non permittere. In solidam vero iuventutis nostrae formationem ut diligentissime incumberemus commendavit, unum annum potius addendo quam demendo: unum enim virum rite formatum maiora esse facturum quam complures mediocres.

Quae omnia mirum quantum concordent cum iis quae Pater Noster in secunda ad PP. Procuratores allocutione vehementer hortatus est.

Alii nuntii de Urbe.

3. — Iam vespere illius diei 1 octobris complures e PP. Procuratoribus Roma discedere coeperunt: nam fere omnes superioribus diebus semel atque iterum de negotiis suarum Provinciarum agere potuerant cum Patre Nostro, qui ad praegrandem illorum dierum laborem sustinendum peculiaribus a Deo viribus donari visus est, ita ut non modo non succumberet, sed etiam vegetior appareret. Verum ad id plurimum quoque contulerat trium hebdomadarum quies, qua de PP. Assistentium consilio idem Pater Noster a medio mense augusto ad ineuntem septembrem fruitus erat Neapoli, in Collegio Maximo Pausilippensi, ubi Nostri insigni caritate et omnimodis pietatis obsequiis, prout amantissimos filios decet, communem Societatis parentem sunt prosecuti.

Die 13 septembris, in Campo Verano ad Urbis moenia, Pater Noster cum P. Edmundo Elter (Prov. Pol. Maior. et Maz.)

aliisque perpaucis Polonis et Praelatis adfuit effodiendis ritu privato ossibus clarissimi patrui sui Cardinalis Miecislai Ledóchowski, ante viginti quinque annos vita functi, quae ossa curante E.mo Card. Augusto Hlond, hodierno eius in primatiali Poloniae sede successore, Posnaniam evehenda erant, ubi maximis cum honoribus in metropolitano templo exeunte mense septembri condita sunt. Quod quidem in nostris hisce annalibus commemorandum duxi, non solum quia quidquid Patri contingit id a filiis alienum esse nequit, sed etiam quia strenuus ille ecclesiasticae libertatis confessor Societatis nostrae amicissimus et patronus semper exstitit, multaque beneficia a Leone XIII Societati collata illi quoque magnam partem debentur. Ut unum referam, Litterae Apostolicae " Dolemus inter „ anno 1886 datae, quibus privilegia omnia antiquae Societati concessa iterum, cunctis sublatis dubitationibus, confirmabantur, nomen Cardinalis Ledochowski subscriptum exhibent (1); et iure quidem non solum quia tunc Eminentissimus Pater erat Brevium a secretis, sed etiam Deo ita disponente ut perennis illius memoria apud nos exstaret coniuncta cum hoc insigni beneficio, quod, teste R. P. Antonio M. Anderledy, tunc Societatis Vicario Generali perpetuo, " post summam Patris Sanctissimi benignitatem, tribuendum est Patri Cardinali Miecislao Ledóchowski, qui pro sua in nos benevolentia Pontificis optatis volens libens obsecutus est „ (2).

Antequam ab Urbe sermo noster divertat, silentio praeterire nequeo rerum humanarum contemptus exemplum insigne, quod Eminentissimus Cardinalis Ludovicus Billot omnibus praebuit. Notum est eum sacram romanam purpuram ante sexdecim annos aegre suscepisse et semper aegerrime portasse. Quod vero iam dudum vehementer optaverat id demum a Summo Pontifice enixe petiit, ut sibi liceret ab omnibus externis rebus se segregare et, universis suae dignitatis iuribus atque honoribus abdicatis, ad ordinariam religiosi subditi conditionem redire, quo tranquillius (ut ipse ait) ad mortem se parare posset. Summus Pontifex huic petitioni, insolitae ei quidem, assentiendum duxit, et die 13 septembris Eminentissimum Cardi-

(1) Cfr. Instit. S. I., edit. Florent., vol. I, pag. 453.

(2) Ita dixit R. P. Anderledy Patribus Provinciarum Procuratoribus anno 1886 Faesulis congregatis: cfr. Acta mss. Congreg. Proc. illius anni.

nalem ultima vice ad colloquium excepit, eique peramanter benedixit. Postridie autem, in festo Exaltationis S. Crucis, comitante Patre Nostro, Eminentissimus Cardinalis in Domum Probationis Aricinam Provinciae Romanae prope Sanctuarium B. M. V. Vallis Aureae (Galloro) in Dioecesi suburbicaria Albanensi secessit; cumque in eam optatam quietem ingrederetur, postrema vel minima pristinae dignitatis insignia laetus deposuit, et *Pater* Ludovicus Billot, Superioribus in omnibus velut quivis alius sodalis subiectus, rursus deinceps dici et esse gavisus est.

Nuper vero, cum Summus Pontifex Provinciarum Procuratores exciperet, audiens inter eos adesse P. Augustum Spinetti Provinciae Romanae Procuratorem eundemque Superiorem Domus Probationis in qua Pater Billot degeret, peculiarem ex animo apostolicam benedictionem illi mittere non omisit.

Ultima festa Aloisiana.

4. — Cum pluries superioribus litteris de centenario Aloisiano locutus sim, operae pretium est ut brevi tangam etiam sollemnia quibus hoc centenarium Castellione Stiveriorum in ipso Sancti Aloisii natali pago, conclusum est. Quatuor primis mensis septembris diebus parva illa urbs, ingenti civium et advenarum stipante multitudine, Angelicum suum Principem omnimodis festivis honoribus cumulavit. Praeter venerandum prope nonagenarium Mantuanae Ecclesiae Praesulem eiusque Episcopum Auxiliarem, aderant nonnulli finitimarum dioecesium Pastores, praeeunte Eminentissimo Cardinali Achille Locatelli, qui Roma illuc ad haec festa cohonestanda se contulerat. Civilibus vero et militaribus Magistratibus praeibat ipse summus regni italici studiorum Moderator, honorabilis vir Professor Petrus Fedele, qui Gubernii personam se ex officio gerere palam professus est " ad memoriam celebrandam, inquit, heroici huius iuvenis Aloisii Gonzaga, qui vitam suam, utut brevem, totam consumpsit in austerioribus virtutibus colendis.... quas omnes itali iuvenes imitentur velimus „. Neque Societas illinc aberat; praeter enim quosdam e Provincia Veneta sodales, Patris Nostri vices acturus illuc missus est P. Carolus Miccinelli (Prov. Rom.), impiger Aloisiani centenarii promotor.

Ultimo celebrationis die, 4 septembris, sacrum Aloisii caput a maximo pagi templo, ubi per illos dies expositum erat, in propriam ecclesiam prope Collegium quod ibi Societas olim habebat solemni pompa deductum est et in suo altari iterum collocatum.

Faxit Deus ut, quae Aloisius christianae perfectionis semina toto hoc anno in adolescentium corda larga manu sparsit, ea in maius Ecclesiae civilisque societatis bonum succrescant et centuplicatum fructum reddant!

De quibusdam Congressibus.

5. — Plurimos, qui, aestivis praesertim feriis, variis de rebus celebrari solent, Congressus persequi profecto non vacat, ne eos quidem qui ad Societatem peculiari quadam ratione pertinere videantur, vel in quibus Nostri partem non spernendam habuerint. Attamen, ob maius eorum momentum, quidam saltem ex hisce conventibus, quamvis breviter, omnino commemorandi sunt.

Velehradii in Moravia, prope sepulcrum S. Methodii, in Collegium Pontificium Societati nostrae commissum (Viceprov. Cechoslov.), conveniunt identidem Episcopi aliique eruditissimi viri de orientalibus Ecclesiis ad Romanam reducendis acturi. Quintus huiusmodi conventus hoc anno diebus 20–24 iulii habitus est, cui iam bene adprecatus erat Summus Pontifex, litteris ad Olomucensem Archiepiscopum Congressus moderatorem die 7 iulii datis, laetarique Se aiebat quod " illuc tam multi, uti affertur, ex remotissimis quoque regionibus conventuri essent viri ex sacro ordine, pietate doctrinaque praestantes, quos inter venerabilis frater Michael d'Herbigny, Pontificii Instituti Orientalis Praeses, una cum nonnuliis Instituti ipsius magistris „ (1). Et sane viginti Episcopi aderant et plus tercenti ex variis nationibus doctores. E Nostris autem, praeter propinquiores quosdam ex Germania, Polonia, Cechoslovachia, quatuor ex Urbe, ut ipsis Apostolicae Epistolae verbis supra relatis innuitur, Velehradium se contulerunt in eoque consessu verba fecerunt: RR. DD. Michael d'Herbigny (Prov. Camp.), qui praeterea quotidie coram SS. Sacramento sacras meditationes proponebat, P. Mauritius Gordillo (Prov. Baet.), P. Theophilus Spácil (Viceprov. Cechoslov.), P. Stephanus Sakać (Viceprov. Iugosl.).

(1) *Acta Ap. Sedis*, vol. XIX (1927), pag. 341.

Oeniponte, in Convictu nostro Canisiano (Prov. Austr.), curante potissimum P. Georgio Harrasser, diebus 16–19 augusti ducenti et triginta Congregationum Marianarum moderatores ex Austria, Germania, finitimisque regionibus de suo munere fructuosius in dies adimplendo collatis consiliis inter se egerunt, praeside RR. DD. Sigismundo Waitz, Apostolico Oenipontano Administratore. Sed quoniam de hoc conventu brevis ea quidem sed completa relatio ad nos missa est, hanc infra exscribemus una cum pulcherrimis Apostolicis Litteris ad eundem Reverendissimum Episcopum datis; ideoque diutius non est mihi immorandum.

Lovanium in Belgio, curantibus praesertim Patribus Petro Charles et Polydoro Meulenyzer, ad quintam Hebdomadam Missionum, quam vocant, diebus 10–14 augusti convenerunt quingenti eoque amplius Missionarii aut Missionum promotores vel studiosi a sexaginta quinque Sodalitatibus vel Religiosis Institutis missi, qui viginti trium nationum personam gerebant. Praeter duos Patres quorum modo memini, aderant e nostra Societate RR. DD. Vedastus Robichez (Prov. Camp.) Episcopus Trincomaliensis, R. P. Carolus Van de Vorst Vicepraepositus Provinciae Belgicae, R. P. Mauritius Veys (Prov. Belg.) Superior Missionis Calcuttensis, P. Henricus Dubois (Prov. Camp.) e nostro Secretariatu Missionum, P. Richardus Cirera (Prov. Arag.) aliique nonnulli.

Romae, diebus 27–30 septembris, fere septuaginta Moderatores dioecesani aut locales Apostolatus Orationis ex variis dioecesibus Italiae, ut a quinque annis iam fieri consuevit, apud nostrum templum SS. Nominis Iesu, de illo tam salutari Opere impensius fovendo amice conspirarunt. Ut gratum erga Societatem animum profiterentur, officiosissimas ad Patrem Nostrum litteras subscriptis singulorum nominibus dare voluerunt. A Summo Pontifice deinde die 29 septembris benignissime excepti, Eum de Apostolatus Orationis utilitate et meritis et fructibus loquentem laetissimi audierunt. Haec, ut alia mittam, dicebat Beatissimus Pater: ipsum Apostolatus Orationis nomen zelum pro Christi regno dilatando et amorem animarum significare. Multiformem esse apostolatum (orationis, actionis, verbi, et etiam census seu elemosynarum et pecuniae), sed non omnia apostolatus genera singulis hominibus esse pervia; Orationis vero Apostolatum

omnes exercere posse, orationem enim sermonem esse amantis et neminem ab amore excusari. Apostolatum ergo Orationis facilem esse et omnibus pervium, ideoque omnes et singulos ad eum pertinere debere; Moderatorum igitur munus expletum non esse, nec opus consummatum, donec vel una anima huic Apostolatui conquirenda remaneret. Praeterea Apostolatum Orationis prae ceteris efficacem esse, cum orationi omnia se daturum promisisset Dominus, cumque nulla alia apostolatus forma quidquam hominibus profutura esset nisi ei per Apostolatum Orationis vis conferretur. — Quae Summi Pontificis verba magno sane solatio et incitamento erunt Nostris omnibus, qui huic Operi Societatis tam proprio impigram operam impendunt. — Ceterum eosdem fere paterni animi sensus expresserat Sanctissimus Dominus die 24 iunii, quo die generalem Apostolatus Orationis Moderatorem delegatum, P. Iosephum Boubée, qui paulo ante Romae sedem fixerat, ad privatum colloquium excipiens, cum intentiones in singulos anni proximi menses sodalium precibus commendandas attente perlegisset et, quibusdam paululum immutatis, approbasset, toti sodalitio sed peculiari affectu pueris puellisque a Cruciata Eucharistica peramanter benedixit.

Denique, exeunte mense septembri, Posnaniae in Polonia Congressus internationalis, quem dicunt, ad Missiones iuvandas habitus est. Quamquam Societas in eo cogendo non potiores partes habuit, siquidem ipse Emus. Card. Augustus Hlond, Poloniae Primas, rem promovendam suscepit et, per Coetum peculiarem a se delectum ad exitum deduxit, primum tamen huius rei consilium nostrae Posnaniensi Sodalitati Marianae debetur, et plurimum in Congressu parando contulerunt Nostri, in eoque de nostris Missionibus saepius honorifica mentio facta est. Viginti de Societate, praeeuntibus duarum Poloniae Provinciarum Praepositis, illi conventui interfuerunt, quorum nonnulli ad publicas quasdam orationes habendas iam pridem designati erant: hi autem non modo ex utraque Poloniae Provincia, sed ex Cechoslovachia, Germania, Belgio, Hungaria, Hispania venerant, ita ut, ad Patrem Nostrum commune telegramma mittentes, optimo iure dicere potuerint: " Occasione Congressus Missionum Socii *septem Provinciarum*, ad tumulum Cardinalis Praefecti Propagandae (1) collecti, filiales

(1) Id est: ad sepulcrum Card. Miecislai Ledóchowski, quondam Sacrae Congregationi de Propaganda Fide Praefecti, cuius ossa illis ipsis diebus Roma Posnaniam delata in templo primatiali, ut supra diximus, condita erant.

animi sensus Paternitati Vestrae deferunt : Sawicki (1) „. — Antequam conventus solveretur, iuvenes catholici Poloni magno cum animi ardore palam spoponderunt se omni qua possint ratione adiuturos nostram Missionem Rhodesiae Septentrionalis, primam e Missionibus Polonicis quae ad gradum Praefecturae Apostolicae sit evecta.

De Missionibus.

6. — Nam, paulo ante Congressum illum Posnaniensem, Praefectura Apostolica Zambesiana in Africa, Provinciae Angliae diu commissa, decreto die 14 iulii lato in duas Praefecturas Apostolicas a Sancta Sede divisa est, quarum altera, Salisburiensis ab urbe praecipua appellanda, Provinciae Angliae concredita manet ; altera vero, a Broken Hill nomen mutuata, Provinciae Poloniae Minoris excolenda traditur, cum iam inde ab anno 1912 Patres Poloni in ea Rhodesiae parte adlaborare coeperint, ut Missionem propriam deinde constituerent. Ne autem interna nostrarum Missionum administratio ab administratione ecclesiastica discreparet, die festo Christi Regis, 30 octobris, decretum tulit Pater Noster, proximo die festo S. Stanislai promulgandum, quo plena pristinae Missionis Zambesianae divisio, secundum easdem normas ac de Praefecturis Apostolicis dictum est, statuitur et perficitur.

Dioecesis Poonensis in Indiis, ab anno 1914 suo orbata Pastore, nuper tandem Episcopum suum optatissimum iterum excepit, RR. DD. Henricum Döring S. I. (Prov. Germ. Infer.), qui ab illa sede ob bellicas leges ante tredecim annos deturbatus, cum ne pace quidem composita nullam sui in Indias reditus haberet spem, anno 1921, ad archiepiscopalem dignitatem Maditensi titulo evectus, Poonensem episcopatum deposuerat, ac paulo post in Iaponiam primus Vicarius Apostolicus Hiroshimensis traiecerat ; nunc vero, sublatis externis difficultatibus, proximus sui ipsius, si ita loqui fas est, successor electus, ad pristinum gregem regendum redit, archiepiscopali dignitate ad personam (ut aiunt) retenta.

In Sinis alterna contendentium armorum fortuna instabilem facit nostrarum Missionum quietem. Nihil tamen quod cum tristibus superiorum mensium eventibus comparari possit, recens nobis relatum est.

(1) R. P. Iosephus Sawicki, Praepositus Provinciae Poloniae Maioris et Mazoviae.

In tota Missione Hwaisensi (Prov. Taurin.), etiam militibus urbem Peng-pu et aliquot domos nostras occupantibus pugnaque circa eandem urbem medio mense augusto vehementer saeviente, nemo e Nostris loco cedere coactus est, quin immo et illam urbem a gravioribus vexationibus militum liberare potuit pia praesertim P. Aloisii Barmaverain industria, qui hostium duces magno cum vitae discrimine trans flumen adire ausus est, ut ab ignitis globulis iaciendis abstinerent.

In Missione Nankinensi (Prov. Franc.) Universitas " Aurora „ in urbe Shanghai rursus aperta est et 250 circiter alumnos habet. Die 8 septembris haud ordinarium festum familiare celebratum est in Collegio Zi-ka-wei : novem Patres, qui ante viginti quinque annos simul e Gallia in Sinas venerant, simul omnes et bene valentes fraternas aliorum gratulationes excipiebant.

Districtus septentrionales nondum plene invasit furor bellicus, ideoque Missio Sien-hsien (Prov. Camp.) hodiernas illarum regionum difficultates minus persensit. Attamen P. Aemilius Licent (Prov. Camp.) eiusque socius P. Petrus Teilhard de Chardin (Prov. Lugdun.), qui in Mongolia orientali geologicis investigationibus magno cum eruditorum plausu vacabant et circiter 500 km. iam peragraverant, in Collegium Tientsinense se recipere debuerunt, ubi insigne illius scientiae musaeum, Gallico Gubernio adiuvante, ab eodem Patre Licent diligenter instruitur. — Aestivo tempore haec eadem Missio, magnis insolitisque caloribus Missionarios nonnullos valde defatigantibus, Superiorem suum regularem R. P. Ioannem Baptistam Debeauvais amisit: nam optimus Pater, de suis sollicitus suique immemor, in gravem morbum incidit et pie in Domino obiit die 18 septembris, aetatis anno 53, Societatis 35.

Ceterum, Deo favente, nec timore praematurae mortis nec formidine periculorum, quibus plus aut minus ubique obnoxia est Missionariorum vita, ab ea desideranda et expetenda minime retrahuntur Societatis filii : anno superiore (ut legistis in *Nuntiis de Missionibus*) nonaginta quinque sodales ad exteras Missiones profecti sunt ; hoc anno autem, praeter alios, ineunte septembri, una eademque navi per Mediterraneum mare vehebantur viginti e Nostris, in Aegyptum, Sinas, Philippinas, Carolinas destinati. Nec desunt quaedam vocationis missionariae exempla peculiari memoria digna : ut unum referam, P. Georgius Basquin (Prov. Camp.) nuper in Missionem Fianarantsoanam insulae Madecassensis traiecit, sexagesimum septimum agens aetatis annum !

Ad hodiernas nostras Missiones etsi non pertinet, mihi temperare non possum quin hic memoriae tradam consecrationem primi Antistitis indigenae Iaponensis, RR. DD. Ianuarii Hayasaka, Nagasakiensis Episcopi, a Christi Vicario apud sepulcrum Principis Apostolorum die festo Christi Regis peractam. Et sane domesticae fere laetitiae nobis esse debet quod inclyta Iaponiae gens, a Nostris olim primum fidem edocta, nunc suos ipsa filios habitura est eiusdem fidei magistros et Pastores, quodque primae huius honoris et gaudi partes illi Nagasakiensium civitati nobis carissimae obtigerunt, quae tot Societatis filiorum est purpurata sanguine. Summus ipse Pontifex faustissima hac occasione commemorandos duxit primos Iaponiae Apostolos. Nam, post Missarum sollemnia novum Episcopum e throno alloquens, " Hunc sacrum ritum, — inquit — dum conficiebamus, credimus cum Francisci Xaverii, qui patriae vestrae catholicam fidem princeps intulit, tum gloriosorum Martyrum, qui pro Christo apud vos caesi sunt, veluti exultavisse et pullulasse ossa de loco suo „ (1). — Quid vero Beatissimus Pater paulo post omnibus Missionariis suo nomine significandum voluerit, quantoque cum amore iis gratias egerit et benedixerit, ex litteris Patris Nostri die 4 novembris datis iam laeti audistis.

Ministeria.

7. — Ad Societatis ministeria sermonem deflectens, ne eadem referens satietatem pariam, ea solum tangam quae non communia videantur.

Exercitia Spiritualia, sicut primum forte locum tenent, ita uberrimos semper et ubique fructus afferunt. In Germania, anno proxime elapso, octigentae societates opificum catholicorum sacrum secessum clausum (ut aiunt) peregerunt. — Monasterii (Münster) in Westfalia, P. Otto Richter (Prov. Germ. Infer.) quinquies in die per triduum aeternas veritates explanavit sexaginta circiter militibus, consentiente et aliquando etiam adstante eorum duce generali Ledebur: praeter sermones, quotidianum quoque erat Rosarium Marianum recitare, *Viam Crucis* peragere, piam lectionem audire, et, quod difficilius est, absolutum silentium servare; quae omnia optimi milites ad exemplum praestiterunt, et laeti cum proposito redeundi atque commilitones secum

(1) *Acta Ap. Sedis*, vol. XIX (1927), pag. 379.

trahendi profecti sunt. — In Hispania, dum Matriti Exercitia Spiritualia matronis apud Ancillas SS. Cordis tradebantur, ipsae Serenissimae Principes Beatrix et Christina, Regis Alphonsi filiae a mane ad vesperum semper intererant, suoque exemplo ac pietate omnibus praeibant. — In Columbia, P. Daniel Ibarrechebea Exercitia Spiritualia proprie dicta integris pagis vel urbibus, civibus in varias classes distributis, peculiari methodo tradit, idque labore tam assiduo, ut uno anno quadraginta quatuor huiusmodi Exercitiorum cursus ad fere viginti duo auditorum millia ingenti cum animarum fructu unus ille Pater habuerit.

Frequentiora in dies fiunt Exercitia per mensem producta. Praeter domum Taurinensem, quo ex variis Italiae dioecesibus ad id quotannis conveniunt complures Sacerdotes, aliaque huius rei tentamina quae superioribus litteris commemoravi quaeque felici exitu etiam hoc anno Comillis (Prov. Legion.) et in domo s'Heerenberg (Prov. Germ. Inf.) repetita sunt, bis huiusmodi secessus proximis hisce mensibus habitus est in domo Exercitiorum Feldkirchiensi (Prov. Germ. Sup.): alter mense iunio, duce P. Ottone Daneffel, pro viginti ex variis Ordinibus religiosis viris, inter quos nonnulli Abbates, Superiores ac Novitiorum Magistri numerabantur; alter mense augusto, duce P. Friderico Kronseder, pro quinquaginta Sacerdotibus, quibus se addiderunt etiam sex medici ex Instituto Medicinae pro Missionibus Herbipoli (Würtzburg) constituto. — In Gallia, quadraginta quinque Sacerdotes Paraedii (Paray-le-Monial, Prov. Lugdun.) itemque alii viginti apud templum Dominae Nostrae in pago Ay in eadem Provincia Lugdunensi, Exercitiis iisdem per mensem operam dederunt.

Hic etiam enarrandum erat quantum Nostri, praeeunte P. Aloisio M. Ortiz (Prov. Castell.), contulerint ad regium triumphum parandum, quo Bilbai in Hispania die 26 iunii honoratum est SS. Cor Iesu, magna eius statua medio in maximo urbis foro erecta et sollemni ritu dedicata. Sed cum inde nobis amplam de hac re relationem missum iri speremus, totam narrationem ad proximum *Memorabilium* fasciculum remittimus.

Aliud ministeriorum genus, quod in Societate maximi fieri debet, sunt Collegia ad erudiendam iuventutem instituta. Supervacaneum sane est vobis de hac re plura dicere: at quae ex Statibus Foederatis Americae referuntur ea sunt, quae praetereunda non videntur. Ex omnibus adolescentibus, qui in catho-

licis scholis educantur, duae partes (65%) nostra Collegia frequentant: una Provincia Missouriana, in suis sex Universitatibus aliisque octo Collegiis seu Scholis Altis quas dicunt, alumnorum non minus 18.000 habet et 5.346 in sola urbe Chicago.

Ministeriis adscribi potest simplex quidam sed perutilis apostolatus a P. Petro Lhande (Prov. Tolos.) subsecivis horis et velut fortuito ante duos annos inchoatus. Circa immensam Lutetiae Parisiorum urbem ingens popolarium multitudo degit, quorum multi pauperrimis in casis miseram et quasi feram vitam ducunt; sed longe plures maxima spirituali inopia laborant, cum religionem fere non norint nisi ut eam odio habeant et blasphement. Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus Parisiensis eiusque clerus illis neo–paganis subvenire enitebantur, nec frustra, ita ut paulatim paroeciae, scholae, oratoria ibi instituerentur, sed multo plura huiusmodi apostolica opera remanebant instituenda, ut spiritualibus incolarum necessitatibus occurreretur. Itaque Pater Lhande, illas derelictas plagas suburbanas identidem invisens, quae suis ipse oculis viderat ea in libello periodico " Etudes „ describere coepit et lectorum caritati commendare, idque tanto cum fructu ut, eleemosynis sive ad ipsum sive ad Curiam archiepiscopalem missis simul computatis, circiter sexagies centena francorum millia (6.000.000) collecta sint, quibus in illarum animarum auxilium mirum quantum iam fieri potuerunt.

Ministeriis item adnumerari potest laboriosum iter a RR. DD. Michaele d'Herbigny, Pontificii Instituti Orientalis Praeside, aestivis mensibus confectum. Is enim, post Conventum Velehradensem de quo supra dixi, varias Orientales regiones perlustrans, etsi in notitiis muneri suo utilissimis colligendis proxime occuparetur, multa quoque dixit perfecitque ut catholica fides schismaticis melius innotesceret et ab iis pluris aestimaretur, non sine maiore futurorum fructuum spe. Constantinopoli primum octo dies commorans, primores urbis cum civiles tum ecclesiasticos invisit, Patriarchis Graeco et Gregoriano schismaticis non exclusis, a quibus omnibus comiter admodum exceptus est. Palestinam deinde et Syriam, Aegyptum et Graeciam rapido cursu sed diligenti obtutu visitavit. Ad celeberrimum etiam Montem Athos, quae est monastica quaedam et fere mysteriosa respublica viginti monasteria et quinque monachorum millia complectens, ascendit ac pretiosissimas illas, indecoro pulvere obtectas, bibliothecas

vidit; et comite atque interprete P. Nicolao Apack (Prov. Lugd.), qui graeca ac russiaca eorum linguis utebatur, cum infimis quibusque monachis agere potuit ac nonnullas falsissimas de Romana Ecclesia opiniones sensim sine sensu ex eorum mentibus excutere. Miras quandoque interrogationes audivit: num, verbi gratia, Catholici crederent Transfigurationem Domini; et valde gavisi sunt miseri illi monachi schismatici cum iis responsum est nos non solum eam credere, sed etiam peculiari festo liturgico eam quotannis colere. Ignorantia potius quam malitia eos laborare pro certo habet Reverendissimus Dominus, qui in Urbem reversus, ex iis quae vidit alacriorem animum hausisse videtur ad totis viribus curandum, ut omnes errantes ad unitatem Ecclesiae quamprimum revocentur, quod faxit Deus!

Anno superiore tetigi quanta cum rei catholicae utilitate P. Iosephus Antonius Laburu (Prov. Castell.) aliquot menses in Argentinia degerit scientificas simul et apologeticas orationes habens. Idem Pater hoc anno in praecipuis Uruquariae urbibus non minore cum laude verba fecit. — Simile quid, petentibus quisbusdam Episcopis, superioribus mensibus in Brasilia magna cum Societatis aestimatione praestitit P. Yvo de La Brière (Prov. Franc.) de iure gentium ad normam christianae legis componendo scite disserens. — Ab exeunte autem mense iulio, P. Aloisius Rodés (Prov. Arag.), Speculae Ibericae apud Dertusam (Tortosa) in Hispania Moderator, in variis Argentiniae et finitimatarum regionum Universitatibus, ut Bonis Auris, La Plata, Cordubae, Montevidei (Uruguay), Iacobopoli (Santiago de Chile), publicas de re astronomica conferentias insigni cum peritorum plausu habet.

Benevolentiae erga Societatem eiusque sodales documenta.

8. — Aliis de causis, externorum item benevolentiam, immo et honores, non quaesitos eos quidem, sibi conciliarunt nonnulli e Nostris. Ut unum alterumve commemorem, P. Aemilius Licent (Prov. Camp.), quem supra de scentiis in Sinis optime meruisse dixi, Legionis Honoris eques torquatus a Gubernio Gallico creatus est, cuius honoris insignia cum Galliae Consul in urbe Tientsin illi traderet, magnis simul laudibus extulit Societatem eiusque florentissimum Collegium in ea urbe non ita pridem inchoatum. — P. Eugenio Laveille (Prov. Belg.), ob eximium opus " L'Evangile au centre de l'Afrique: le P. Van Heuckxtho-

ven S. I., fondateur de la Mission du Kwango, 1852-1906 „ ab Academia Gallica decretum est praemium, quod a " Montyon „ nomen habet. — P. Aloisius Le Grand (Prov. Belg.), qui in eadem Missione Kwangensi olim fuit, nunc in Belgio "Coloniarum Consilii „ membrum nominatus est, et cum per illam occasionem Alberto Belgarum Regi se sisteret, dimidiam horae partem eum de Societate eiusque operibus benevolentissime loquentem audivit. — Universitas Catholica Lovaniensis, cum quinta sollemnia saecularia mense iunio celebraret, claros aliquos exteros viros laurea ad honorem donavit: hos inter duo e Nostris fuerunt, P. Ioannes Baptista Ferreres (Prov. Arag.) et P. Iacobus van Ginneken (Prov. Neerl.), alter theologiae, alter philosophiae doctores creati.

Ceterum, magis quam honores singulis quibusdam sodalibus tributi, aestimandae sunt, " quippe quae (ut Patris Nostri Procuratores alloquentis verbis utar) intimum vitae robur Societati non deesse ostendant, innumerabiles prorsus petitiones, quibus undique opera nostra ad quaevis spiritualia ministeria enixe expostulatur „. Etiam mense octobri proximo, ut alia praeteream, duo Collegia, quae maximi momenti forent, Societati instantissime oblata sunt: alterum in novi status Irak urbe principe Bagdad, et in Cocincina alterum, ubi iam pecunia necessaria collecta est et ab ipsis infidelibus huiusmodi scholae vehementer desiderantur. Dolendum sane nos non posse illis nationibus, quae tantam animarum messem praeberent, subvenire; eo magis quod in Cocincina finitimisque regionibus, praesertim in Tunkino, antiquae Societatis de fide illuc invehenda optime meritae etiam nunc memoria viget, ut mensibus martio et maio huius anni compertum est, cum, ipso Delegato Apostolico praeside, summis honoribus et magna cum fidelium laetitia commemoratus est noster P. Alexander de Rhodes, qui abhinc trecentos annos primus Evangelii praeco in illud regnum pedem intulit (19 martii 1627). — Attamen, non semper negativum responsum hisce petitionibus dare cogimur, ut augescens quotannis domorum numerus ostendit; quandoque ne ambigendi quidem locus nobis relinquitur, tunc potissimum cum apertum Sanctae Sedis praeceptum urget, ut nuper factum est de Seminario regionali Kularitano (Cuglieri), quod pro tota Sardinia a Summo Pontifice institutum et Societati commissum Provincia Taurinensis die 2 octobris regendum suscepit.

Sed quae est infinita Dei bonitas, auctis operibus pari gressu augetur in dies Sociorum numerus: iam nunc optimi afferuntur nuntii de selectis iisque bene multis Novitiorum manipulis in Societatem hoc anno admissis; inter quos ob rei raritatem peculiarem mentionem meretur singulare quoddam ex familia Jiménez adolescentium ternarium, qui, uno eodemque die nati (sunt enim fratres tergemini), vultu et statura inter se simillimi, die festo SS. Trinitatis domum probationis Aranjuezanam Provinciae Toletanae simul ingressi sunt; quorum alius frater natu maior, in Societatem iamdiu admissus, nunc inter Scholasticos in eadem domo degit.

Tristes quidam eventus.

9. — Verum, ab historica integritate ne deficiam, nostris hisce annalibus etiam tristia quaedam tradere cogor: Fratres enim apprime decet non solum laetantibus Fratribus gratulari, sed lugentibus quoque condolere.

Die 20 iulii Fr. Coad. Iosephus Bosch (Prov. Arag.), dum in agro Collegii Valentini coementariis altum puteum reficientibus invigilat, ut tribus operariis casu quodam fortuito vita periclitantibus auxilium ferret, in puteum se demittens vix unum ex illis e morte eripere potest, cum deficientibus viribus ipse ad ima praeceps rursus cadit, indeque, frustra conantibus aliis Nostris et externis qui statim accurrerant, iam mortuus extrahitur simul cum aliis duobus opificibus item suffocatis.

Die 30 septembris P. Marcellus Desforges (Prov. Franc.), Superior Residentiae maioris Parisiensis ad Sancti Germani, e palatio archiepiscopali pedes domum revertebatur, cum ecce currus automobilis nimio impetu actus viae marginem conscendit, Patrem opprimit, ad murum allidit. Eum in abdomine et in pectore graviter vulneratum, statim ad nosocomium adducunt, sed postridie optimus Pater pie in Domino obdormivit aetatis anno 64, Societatis 42: vir erat magnae prudentiae, omnibus carus, cuius morte Provincia Franciae non minorem forte iacturam fecit atque ante tres menses fecerat ob immaturam mortem clarissimi illius P. Leontii de Grandmaison, de quo paulo fusius proximo fasciculo dicemus.

Die 20 septembris, vehementissima aeris tempestas nostram " Scholam Altam „ urbis S. Ludovici (Prov. Missour.) in America ita vastavit ut ad eam reficiendam circiter centum dollariorum millia impendi debeant; at, Deo favente, nullus ex quingentis alumnis nullusque ex Nostris quidquam gravius est passus, et scholae unum diem tantum vacarunt.

Magnam item iacturam passum est templum nostrum Iacobopolitanum, in Chilenae Republicae urbe principe, cum terrae motus die 14 aprilis huius anni in tota circa Andinas Alpes regione ruinas congessit. Illius templi detrimentum tantum fuit ut, quamquam statim impigreque ad illud reficiendum manum admoverunt Nostri, usque ad proxima festa Paschalia Christifideles ab eo frequentando arcendi sint. — Inter eos autem, qui ad ingentes huius reparationis impensas sustinendas Nostris auxilio fuerunt, mirum grati animi exemplum praebuit dives quidam Londinensis civis, ad cuius aures cum per ephemerides de ruina templi nostri Iacobopolitani pervenisset nuntius, centum anglicas libellas sponte misit, asserens se id facere in memoriam quorundam Societatis Patrum, qui ante triginta annos ipsi in Republica Chilena ob negotia tunc commoranti optime a consiliis fuerunt. — Idem terrae motus aedibus et templo Residentiae nostrae Mendocensis in Argentinia damna haud levia attulit, ad quae tamen reficienda Dei Providentia et bonorum amicitia nobis non desunt.

Terrae motus contra, qui die 11 iulii totam exscussit Palaestinam, incolumen reliquit novam eamque pulcherrimam Hierosolymitanam domum a Pontificio Instituto Biblico dependentem, quae, assidue curantibus PP. Alexio Mallon (Prov. Lugdun.) et Iosepho Marini (Prov. Ven.) atque plaudentibus omnibus Societatis amicis, die 1 iulii inaugurari potuerat. Sed, cum Gubernatoris Anglici domus terrae motus obruta esset, petiit hic a Sancta Sede ut sibi illae pontificiae aedes soluto pretio locarentur, usque dum propriam habitationem reficeret; quod Sancta Sedes, attentis rerum momentis, concedendum duxit. Itaque parva Nostrorum communitas ibi vix inchoata statim loco cedere debebit et in alienam rursus domum se recipere.

De causis Sanctorum Societatis.

10. — Antequam hisce litteris finem imponam, ad laeta iterum redibo. Ipse Pater Noster in prima ad PP. Procuratores adhortatione universae Societati nuntiavit mox inchoatum iri causam beatificationis R. P. Ioannis Roothaan, cuius imagines singulis sodalibus distribuendae ad omnes Provincias missae sunt easque ad vestras manus iam pervenisse puto. P. Carolus Silva Tarouca (Viceprov. Cechoslov.), in Universitate Gregoriana historiae ecclesiasticae Lector, huius causae Vicepostulator nominatus est. — Ad felicem exitum magnis itineribus properant optatissimae causae canonizationis B. Roberti Cardinalis Bellarmino et beatificationis Ven. P. Claudii de La Colombière; itemque canonizationis Beatorum Martyrum Canadensium, qui multis mire factis a Deo honorari dicuntur, quamquam haec causa ob locorum distantiam non tam celeriter agi possit quam est in votis.

Haec vobiscum iam nunc communicanda censui, non quidem ut res pro certo habeantur, sed ut, aucta spe, fervidiores preces nobiscum ad Deum fundere ne praetermittatis, quo citius Ille glorificantes Se glorificare dignetur, qui in Sanctorum suorum honoribus honoratur.

Vestrum omnium ss. SS. et orationibus me enixe commendo.

Romae, in festo omnium Sanctorum Societatis Iesu,
die 6 novembris 1927.

Vestrum omnium
Servus in Xto.
HILARIUS AZZOLINI
Subsecr. Soc. Iesu.

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

I.

CONGREGATIO PROCURATORUM
ANNO 1927.

Indicta hac undesexagesima (1) Procuratorum Congregatio die 8 decembris 1926, in omnibus Provinciis tempestive pro locorum distantia habitae sunt Provinciales Congregationes ad Procuratores eorumque Substitutos eligendos. Gratum erit harum electionum exitum hic prae oculis habere, addito etiam munere quo quisque Procurator dum electus est fungebatur.

PP. Procuratores eorumque Substituti in Congregationibus Provincialibus electi.

1) PROV. ROMANAE — *Proc.:* P. Augustus Spinetti, *Sup. Dom. prob. et Mag. Novit. (olim Praep. Prov.).*
Substit.: P. Petrus Tacchi-Venturi.

2) » ANGLIAE — *Proc.:* P. Gulielmus Bodkin, *Rect. Coll. Max. Heythopensis (olim Praep. Prov.).*
Substit.: P. Carolus Blount.

3) » ARAGONIAE — *Proc.:* Raimundus Crexáns, *Rect. Coll. Max. Barcinonensis.*
Substit.: P. Ioannes Guim.

(1) Secundum vulgatam numerationem (cfr. *Acta Rom.*, vol. III, 1920, pag. 238) haec Congregatio dicenda esset quinquagesima octava; sed, diligentius investigata re, inventum est errorem irrepsisse in illam computationem; nam quae a S. Francisco Borgia in annum 1571 indicta erat, quaeque ob Sanctis iter in Galliam et Hispaniam iussu S. Pii V susceptum putabatur non fuisse celebrata, compertum nunc est eam, quamvis eius acta non inveniantur, reapse celebratam esse.

4) » ARGENT.-CHIL. — *Proc.:* Matthias Codina, *Rect. Coll. NN. et Dom. prob. Cordubensis.*
Substit.: P. Antonius Viladevall.

5) » AUSTRIAE — *Proc.:* P. Aloisius Ersin, *Rect. Coll. Max. Oenipontani.*
Substit.: P. Michael Hofmann.

6) » BAETICAE — *Proc.:* P. Emmanuel Grund, *Lect. theol. in Coll. Max. Granatensis.*
Substit.: P. Iosephus Em. Aicardo.

7) » BELGICAE — *Proc.:* P. Carolus Van de Vorst, *Vice Praepos. Provinc. (absente Provinc.).*
Substit.: P. Aemilius Thibaut.

8) » CALIFORNIAE — *Proc.:* P. Iacobus Malone, *Socius R. P. Provinc.*
Substit.: P. Iosephus Chianale.

9) » CAMPANIAE — *Proc.:* P. Henricus Jubaru, *Sup. Resid. Duacensis.*
Substit.: P. Petrus Geny.

10) » CANADAE INF. — *Proc.:* P. Samuel Bellavance, *Praef. stud. in Coll. Max. Marianopol.*
Substit.: P. Henricus Bourque.

11) » CASTELLANAE — *Proc.:* P. Gabriel Vilallonga, *Praef. spir. in Resid. Victor. (olim Praep. Prov.)* (1).
Substit.: P. Antonius M. Arregui.

12) » COLUMBIANAE — *Proc.:* P. Michael Montoya, *V. Rect. Semin. N. N. ad « La Merced ».*
Substit.: P. Uldaricus Urrutia.

13) » FRANCIAE — *Proc.:* P. Gabriel de Boissieu, *Sup. Conv. Andegavens.*
Substit.: P. Romualdus Devillers.

14) » GERMAN. INF. — *Proc.:* P. Ioannes Lauer, *Rect. Coll. Max. Valkenburg.*
Substit.: P. Rembaldus Richard.

15) » GERMAN. SUP. — *Proc.:* P. Franciscus Xav. Hayler, *Sup. Resid. S. Ignat. Monachiens.*
Substit.: P. Paulus de Chastonay.

16) » HIBERNIAE — *Proc.* P. Petrus Finlay, *Lect. theol. dogm. in Coll. Max. Dublin.*
Substit.: P. Martinus Maher.

17) » HUNGARIAE — *Proc.:* P. Franciscus Xav. Biró, *Rect. Coll. NN. Szegedinensis.*
Substit.: P. Ioannes Vukov.

(1) Die 8 sept. renuntiatus est Praepositus Domus Professae Bilbaensis.

18) » LEGIONENSIS — *Proc.:* P. Ferdinandus Gutiérrez del Olmo, *Instr. PP. tert. Prob.* (*olim Praep. Prov.*).
Substit.: P. Isacius Moran.

19) » LUGDUNENSIS — *Proc.:* P. Aloisius Chauvin, *Rect. Dom. Prob. Lugdun.* (*olim Praep.Prov.*).
Substit.: P. Augustus Bulot.

20) » LUSITANAE — *Proc.:* P. Franciscus Rodrigues, *Script.*
Substit.: P. Candidus Mendes.

21) » MARYL.-N. E. — *Proc.:* P. Timotheus Barrett, *Praef. spir. in Coll. Max. Woodstochiensi.*
Substit.: P. Gulielmus Duane.

22) » MEXICANAE — *Proc.:* P. Carolus M. Mayer, *Sup. Resid. S. Fam. Mexicopolit.*
Substit.: P. Camillus Crivelli.

23) » MISSOURIANAE — *Proc.:* P. Ieremias O' Callaghan, *Vice Provinc. Region. Ohiensis.*
Substit.: P. Franciscus Xav. Mac Menamy.

24) » NEAPOLITANAE — *Proc.:* P. Aloisius Ceccarini, *V. Rect. Dom. prob. et Mag. Novit.*
Substit.: P. Ioannes Casiello.

25) » NEERLANDICAE — *Proc.:* P. Carolus Raaijmakers, *Prof. in Univ. Cath. Neomag.* (*olim. Praep. Prov.*).
Substit.: P. Petrus Willekens.

26) » NEO-AUREL. — *Proc.:* P. Franciscus Roy, *Proc. Coll. Loyolaei Neo-Aurelianensis.*
Substit.: P. Ioannes Mc Creary.

27) » NOV. ANGLIAE — *Proc.:* P. Ioannes Fisher, *Sup. Dom. prob. et Mag. Novit.*
Substit.: P. Ioannes Creeden.

28) » POLONIAE MAI. ET MAZ. — *Proc.:* P. Aloisius Bukowski, *Prof. theol. in Univ. Varsaviensi.*
Substit.: P. Bogulaus Maczka.

29) » POLONIAE MINORIS — *Proc.:* P. Stanislaus Cisek, *Rect. Coll. Max. Cracoviensis.*
Substit.: P. Adalbertus Szmyd.

30) » SICULAE — *Proc.:* P. Paschalis Borrello, *Rect. Coll. Panorm.* (*olim Praep. Prov.*) (1).
Substit.: P. Antonius Leanza (2).

31) » TAURINENSIS — *Proc.:* P. Franciscus Xav. Calcagno, *Rect. Coll. Max. Cheriensis* (*olim Praep. Prov.*).
Substit.: P. Albertus Filippi.

(1) Romam venire non potuit — V. infra, pp. 80, 101.

(2) Superior Resid. Panormitanae: Romam venit loco Procuratoris impediti. — V. infra, pp. 80, 101.

32) » Toletanae — *Proc.:* P. Eduardus Dodero, *V. Rect. Coll. Matritensis* (1).
* *Substit.:* P. Antonius Medina.

33) » Tolosanae — *Proc.:* P. Edmundus Rouffiac, *Rect. Coll. Sarlat.* (*olim Praep. Prov.*).
Substit.: P. Ferdinandus Cavallera

34) » Venetae — *Proc.:* P. Ioachimus D. Alberti, *Instr. PP. tert. Prob.* (*olim Praep. Prov.*).
Substit.: P. Ios. Stanislaus Leonardi.

20 sept. — Romam pervenire incipiunt Provinciarum Procuratores: hodie excipimus Procuratores Californiae et Germaniae Inferioris.

21 sept. — Advenit Procurator Columbianae.

22 sept. — Romam pervenerunt Procuratores Aragoniae, Argentino-Chilenae, Canadae Inferioris, Hiberniae, Tolosanae.

23 sept. — Excipiuntur domi nostrae Procuratores Baeticae, Lusitanae, Missourianae, Neerlandicae, Toletanae.

24 sept. — Advenit Procurat Taurinensis.

25 sept. — Adveniunt Procuratores Belgicae, Germaniae Superioris, Hungariae, Neapolitanae, Neo-Aurelianensis, Poloniae Maioris et Mazoviae, Poloniae Minoris; necnon Substitutus Procuratoris Siculae, quia Procurator illius Provinciae legitime impeditus secundum Form. Congr. Prov. num. 88 declaratus est.

26 sept. — Reliqui omnes Procuratores perveniunt, id est: Romanae, Angliae, Austriae, Castellanae, Franciae, Legionensis, Lugdunensis, Marylandiae Neo Eboracensis, Novae Angliae, Venetae.

27 sept. — In aulam maximam Collegii Germanici Hungarici ad primam Congregationis sessionem hora 9 conveniunt, praeside Patre Nostro, omnes PP. Assistentes et Provinciarum Procuratores ita ut omnes Congregati Patres 41 numerentur, secundum sollemnis professionis antiquitatem dispositi, quorum elenchus hoc ordine digestus in *Actis Romanis* anni 1927 prostabit. Servatis omnibus Formulae praescriptis, primam allocutionem habet Pater Noster, ad quam audiendam vocati erant etiam quinque Relatores, qui domi adsunt (Viceprovinciarum Brasiliae Centralis, Canadae Superioris, Cechoslovacae, Iugoslaviae, et Missionis Brasiliae Septentrionalis), secundum Formulae permissionem, sed ex

(1) Paulo post electionem in Procuratorem cessavit ab officio Vice-Rectoris.

mero errore in aulam non sunt ingressi. — Demum electus est Congregationis Secretarius P. Ioachimus Diam. Alberti, Provinciae Venetae Procurator.

27-30 sept. — Dies ad informationes petendas accipiendasque assignati, ad normam Formulae Congr. Procur. nn. 14–20.

30 sept. — Alter Congregationis conventus habetur, in quo Congregationem Generalem non esse cogendam decretum est. — Cum R. P. Assistens Galliae leviter aegrotet, ad eius suffragium clausa theca excepiendum se conferunt duo Procuratores sollemni professione iuniores (Form. Congr. Proc. n. 25), PP. Gabriel de Boissieu et Aloisius Ceccarini. — Ad alteram Patris Nostri allocutionem audiendam adsunt quoque Relatores Viceprovinciarum Brasiliae Centralis, Canadae Superioris, Iugoslaviae, et Missionis Brasiliae Septentrionalis; nam Relator Viceprovinciae Cechoslovacae iam profectus est.

1 oct. — Omnes Procuratores et quatuor Relatores supra dicti, praeeunte Patre Nostro cum Assistentibus necnon comitantibus Societatis Secretario et Procuratore Generali, Summum Pontificem adeunt. — Beatissimi Patris allocutionem supra retulimus (1).

1 oct. — Post meridiem iam ex Urbe discedunt Procuratores Provinciarum Romanae, Aragoniae, Baeticae, Canadae Inferioris, Columbianae, utriusque Germaniae, Legionensis, Lugdunensis, Taurinensis et Tolosanae.

2 oct. — Proficiscuntur Procuratores Franciae, Hiberniae et Venetae.

3 oct. — In Provincias redeunt Procuratores Angliae, Austriae, Castellanae, Hungariae, Mexicanae, Neerlandicae, Toletanae.

oct. — Domo discedunt Procuratores Campaniae et Neapolitanae et Substitutus Siciliae.

5 oct. — Proficiscuntur Procuratores Argentino–Chilenae, Belgicae, Marylandiae-Neo Eboracensis, Missourianae, Neo–Aurelianensis, Novae Angliae.

6 oct. — Ab Urbe discedunt Procuratores utriusque Poloniae.

8 oct. — Procurator Californiae in Provinciam redit.

13 oct. — Procurator Lusitanae, qui historicae investigationis causa aliquot dies commorationem suam produxerat, Roma hodie discedit.

(1) V. supra, pp. 59–60.

* * *

Occasione Congregationis Procuratorum, ad normam Formulae eiusdem Congregationis n. 4 et secundum litteras a Patre Nostro die 31 maii 1925 datas iisque adnexum elenchum (1), Romam venerunt, quamquam non omnes simul neque eodem tempore atque Procuratores, hi Viceprovinciarum et maiorum Missionum Relatores:

Relatores Viceprovinciarum

electi ad normam Form. Congr. Prov. n. 2 § 4.

		Romae fuerunt:
VICEPROV. BRASIL. CENTR.	— P. Aloisius Riou, *Moder. Congr. Mar., etc.*	25 sept. - 10 oct.
» BRASIL. MERID.	— R. P. Petrus Lenz, *Praep. Viceprov.*	12–17 sept.
» CANADAE SUPER.	— P. Iosephus Bergin, *Adiut. Red. Nunt. SS. Cord.*	19 sept. - 5 oct.
» CECHOSLOVACAE	— R. P. Methodius Ryák *Praep. Viceprov.*	20 - 27 sept.
» IUGOSLAVIAE	— R. P. Antonius Prešeren, *Praep. Viceprov.*	22 sept. - 1 oct.

Relatores Missionum maiorum

designati ipso iure secundum Form. Congr. Procur. n. 4.

		Romae fuerun
M. AEQUATORIAN (Prov. Baet.)	— R. P. Prosper Malzieu, *Sup. reg.*	24 - 31 iul.
M. AUSTRALIANAE (Prov. Hib).	— R. P. Ieremias Sullivan, *Sup. reg.*	15 - 29 iul.
M. BATAVIAE (Prov. Neerland.)	— P. Gerardus Schmedding, *Rect. Coll. Moentill.*	13 - 21 iul.
M. BOMBAYEN.-POON. (Pr. Arag.)	— P. Henricus de Rafael, *Lect. math.*	14 iun. - 4 iul.

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1925, pp. 285-293.

M. Brasil. Sept. (Pr. Lusit.) —	R. P. Aloisius Baecher, *Sup. reg.*	23 sept. - 1 oct.
M. Calcuttensis (Prov. Belg.) —	R. P. Mauritius Veys, *Sup. reg.*	14 - 22 ma
M. Fianarantsoa (Pr. Camp.) —	R. P. Armandus Poirier, *Sup. reg.*	12 - 21 iul.
M. Mangalorensis (Prov. Ven.) —	R. P. Aloisius Coelho, *Sup. reg.*	13 - 23 iun.
M. Peruvianae (Prov. Tolet.) —	P. Antonius Medina, *Oper.*	24 - 31 iul.
M. Philippin. (Pr. Maryl.-N. E.) —	R. P. Iacobus Carlin, *Sup. reg.*	9 - 21 aug.
M. Syriae (Prov. Lugdun.) —	R. P. Abel Dides, *Sup. reg.*	18 - 25 iul.
M. Tananariv. (Prov. Tolos.) —	R. P. Stephanus Fourcadier, *Sup. reg.*	27 iul. - 1 aug.
M. Trichinopol. (Pr. Camp.) —	R. P. Franciscus Xav. Froehly, *Sup. reg.*	19 - 26 iun.

Nota. — Missiones vero *Sien-hsien* (Prov. Camp.) et *Nankinensis* (Prov. Franc.) in Sinis, ob rerum adiuncta et etiam quia nuper Romam redierant ex altera Missione R. P. Iosephus Subtil Visitator, ex altera R. P. Felix Mollat Praepositus Provinciae Franciae, a Patre Nostro obtinuerant facultatem abstinendi hac vice a Relatore mittendo; item Missio Zambesiana (Prov. Angl.), quia R. P. Robertus Brown, Praefectus Apostolicus et Superior regularis, paucis ante mensibus Romam venerat. — E Missione *Kwangensi* (Prov. Belg.) contra, quae mittendi Relatorem proprie dictum ius nondum habet, Urbem petiit (17-24 iul. P. Iosephus Van Wing, qui in Belgium ad Congregationem Provincialem loco Superioris regularis missus fuerat.

II.

CONGRESSUS PRAESIDUM CONGREGATIONUM B. M. V.

OENIPONTE IN COLLEGIO CANISIANO HABITUS

DIEBUS 16-19 AUG. 1927.

Ut iam saepius annis prioribus Collegium Canisianum, quod Oeniponte habet Provincia Austriae, hospitio exceperat viros curae animarum peritissimos atque studiosissimos, qui de rebus quae ad populum spiritu vere christiano-apostolico imbuendum conducant serio dissererent, hoc quoque anno in huius Collegii amplissimas aedes 230 cum saeculares tum regulares sacerdotes Congregationibus Marianis moderantes ex Austriae, Germaniae, Helvetiae, Belgarum, Cechoslovaciae finibus confluxerunt, qui a die 16 ad 19 augusti primum post immanissimum bellum de rebus ad Congregationes Marianas pertinentibus diligenter consulerent. Ipse RR. DD. Sigismundus Waitz, Oenipontanus Administrator Apostolicus, qui Episcopus vere Marianus iure merito est appellatus, amplissimo coetui praefuit adiuvante a R. D. D^re^ Knebel, parocho ex Badenia, viro non minus apto, qui dirigeret congressus disputationes, quam Congregationum Marianarum benevolo amico et fautor. Summum huic Congressui gaudium summumque honorem attulerunt litterae ab Eminentissimo Cardinali a secretis Status nomine Sanctitatis Suae benignissime transmissae quae in ipso coetus initio solemni in Kolpingsaal habito summo omnium plausu sunt praelectae.

Harum litterarum textum germanicum et latinam interpretationem infra subiicimus (1).

Praeter has Summi Pontificis litteras, telegrammata gratulatoria miserant Eminentissimi DD. Cardinales Piffl et Bertram, RR. DD. Archiepiscopus Salisburgensis Ignatius Rieder necnon RR. DD. Principes Episcopi Adamus Hefter et Ferdinandus Pawlikowski, quae omnia simul cum verbis festivis a P. Petro Lippert (Germ. Sup.) " de Congregatione Mariana nostroque tempore „ in

(1) . infra, pp. 86-89.

Kolpingsaal habitis laetissimam pepererunt spem fore, ut fructuosissimus — Deo favente — evaderet Congressus. Itaque tribus his diebus per has horas et antemeridiem et postmeridiem serio est disputatum. Hic erat ordo materiarum, quae tractabantur:

17 aug. antemerid.:

I. Congregatio Mariana exhibita in documentis authenticis et statutis (ref.: P. Harrasser S. I., loco P. Boegle aegrotantis);

II. Congregatio Mariana uti invenitur in monumentis historicis (ref.: P. Kettenmeyer S. I., Coloniae);

III. De praesidis methodo (ref.: Dr. R. Chardon, Trevirensis).

Postemerid.:

I. De methodo psychologica praesidis imprimis circa feminas (ref.: Praes. generalis R. D. Kleus, Düsseldorpiensis);

II. Congregatio iuvenum studiosorum forma educandi iuventutem et praecipua et nostro tempori consona (ref.: P. Ingbertus Naab, O. Min. Cap.).

18 aug. antemerid.:

De Congregatione fundamento religiosi apostolatus (ref.: RR. D. Carolus Handloss, Vindobonensis, Cubicularius intimus S.S.).

II. De Exercitiis spiritualibus schola apostolatus laicorum (ref.: Secretarius generalis Sutner, Helvetia).

18 aug. postmerid.:

I. De apostolatu sodalium tum in vita privata familiae tum in vita publica (P. Finster S. I.);

II. De apostolatu sodalium in parochia (ref.: R. D. Parochus Kolb, Norimbergensis).

19 aug. antemerid.:

I. De Congregatione Mariana feminarum (ref.: R. D. Parochus Röttig ex Türmitz, Cechoslovaciae);

II. De Congregatione Mariana virorum, centro curae animarum (ref.; P. Weh S. I., Aschaffenburg, Bavariae).

Ex disputationibus inter praesides Germaniae regionis septentrionalis et meridianae maiorem esse convenientiam circa quaestiones principaliores quam antea manifestatum est. Quare non sine omnium, qui intererant, maximo gaudio de quaestionibus urgentioribus magisque nostro tempori necessariis est dissertum, etsi quaestiones magis particulares, ut v. g. de Congregatione Sacerdotum, studiosorum etc., in alium potius Congressum a quibusdam viris ad id deputatis decernendum videbantur differendae. Congressus decrevit, ut RR. DD. Ordinarii locorum

invitarentur qui curarent, ut iam theologiae studio vacantes in Seminariis praesides quam aptissimi rite efformarentur et instruerentur. Summo vero Pontifici petitio est proposita, ut quatuor illis Sodalibus Martyribus Mexicanis, quorum in litteris suis mentionem fecerat, caelitum honores decernere dignaretur. Ad ultimum R. D. Dr. Knebel in Directorem generalem omnium Congressuum Praesidum summo omnium plausu est electus.

Novo fervore novisque aucti stimulis et gratis erga Deum eiusque Matrem animis decantato " Magnificat „, omnes, qui Congressui intererant, abierunt.

Uberrimi solidique huius conventus fructus, ut eiusdem Praeses, R. D. Knebel, publice professus est, non minimam partem debentur P. Georgio Harrasser, qui de Congregationibus Marianis in Austria optime meritus, hunc quoque Congressum Praesidum summa industria peritiaque praeparaverat.

Litterae Cardinalis Secretarii Status

nomine Summi Pontificis datae (1).

Hochwürdigster Herr!

Aus dem Vatikan, 2. August 1927.

Der Hl. Vater hat mit ganz besonderem Wohlgefallen vernommen, dass während der Oktav der Himmelfahrt Unserer Lieben Frau sich in dieser Stadt zahlreiche Diözesan- und Ortsleiter der Mar. Kongregationen versammeln, hauptsächlich aus Oesterreich und Deutschland, aber auch aus der Schweiz und dem Ausland, unter dem Vorsitz von Euer bischöfl. Gnaden.

Seine Heiligkeit weiss wohl zu schätzen, wie segensreich die Veranstaltung einer solchen Versammlung ist, und welche grossen Vorteile daraus entspringen für den weiteren Ausbau und die Fortentwicklung der dort schon so blühenden Mar. Kongregationen. Seine Heiligkeit möchte deshalb nicht, dass hier ein aufmunterndes Wort auch von Seiner Seite fehlte und deshalb hat Er mich beauftragt, Euer Gnaden Seine höchste Zustimmung auszudrücken und Seine Segenswünsche, die Er für ihren glücklichen Verlauf hegt, zu übermitteln.

Der Hl. Vater kennt von Grund aus die wunderbare Orga-

(1) Missae sunt ad RR. DD. Sigismundum Waits, Episcopum tit. Cibyratensem et Administratorem Apostolicum Oenipontanum.

nisation und den augenblicklichen herrlichen Stand der Kongregationen; aber der grösste Trost ist Ihm doch sicherlich der übernatürliche Geist, der sie beseelt und belebt und der den Sodalen jene solide Frömmigkeit und Charakterstärke verleiht, die sie zur rechten Zeit ein weithin leuchtendes Tugendbeispiel, und wenn die Umstânde es fordern, zu Martyrern werden lässt, wie in gegenwärtigen Tagen in Mexiko. Hier ist es wahrhaftig angebracht, an jene vier jungen Leute zu erinnern, die am 3. Jänner dieses Jahres in der Stadt Leon mit dem Ruf: ,,Es lebe Christus, der König!" der Verfolgung zum Opfer fielen; alle vier Mitglieder der Marianischen Kongregation, die die Gesellschaft Jesu nach ihrer alten Ueberlieferung dort gegründet hatte und leitete. Josef Valencia Gallardo, Salvator Vorgas, Ezechiel Gomez und Nikolaus Navarro waren es, Martyrer des Glaubens, die in der Mar. Kongregation, der erfolgreichsten aller Schulen — es ist ja die Schule der lieben Mutter Gottes — gelernt hatten, Tugend und Kirche zu lieben, und die dort den Heldenmut erreicht haben zum grössten Opfer für Jesus.

In derselben Schule, wenn sie wohl geführt ist, nach den weisen Normen und heiligen Ueberlieferungen, wird auch die geliebte Jugend der mitteleuropäischen Länder denselben Starkmut lernen, Streiter zu sein für den Glauben, wenn der Herr dies Opfer von ihr forderte. Denn unzweifelhaft liegt das wichtigste Moment für das Gedeihen der Kongregation darin, sie recht zu führen, so dass ihr segensreiches Einwirken auf die Gesellschaft zum grössten Teil abhängt von der Arbeit ihrer Leiter.

Wo sie in weiser Führung die wertvolle Kraftentfaltung der jugendlichen Seele zu lenken wissen, werden sie zweifellos von der Jugend ernten, was sie erwarten: nicht nur innere und persönliche Frömmigkeit, sondern Werke-des Seeleneifers und Apostolates, die ja immer die ganz natürliche und eigenste Blüte dieses mystischen Mariengartens waren.

Und so ist es denn von grossem Werte, wenn die Leiter innerlich zusammengehöriger Gebiete sich zusammenfinden und die verschiedenen mit ihrer Aufgabe verknüpften Fragen besprechen, um dann mit einheitlicher Zielsetzung voranzugehen, ohne die allzugewöhnliche Unsicherheit derer, die sich und ihrer persönlichen, oft zu engen und ungenügenden Erfahrung allein überlassen sind.

Sehr glücklich schien auch die Wahl des Versammlungsortes getroffen, in einem Hause, das dem heiligen Petrus Canisius, dem grossen Marienverehrer, geweiht ist, dem unermüdlichen Apostel deutscher Länder, der die Kongregation von ihren Anfängen an schätzte, ihre Bedeutung durchschaute und sie in den Kollegien jener Städte verbreitete.

Der Hl. Vater sieht also mit Freuden die Erfolge jener Tage voraus und er wünscht, dass sie den Erwartungen ihrer eifrigen Förderer und ihres wohlverdienten Präsidenten gemäss verlaufe.

Um diese Glückwünsche zu bekräftigen und die Tagung selbst fruchtbarer zu machen, verleiht Seine Heiligkeit von Herzen Seinen Apostolischen Segen Euer bischöfl. Gnaden, den Förderern des Kongresses und allen teilnehmenden Priestern und gibt ihnen die Vollmacht, diesen Segen an einem beliebigen Tag nach ihrer Heimkehr ihren Kongregationen zu spenden, deren Leiter Sie sind. Sie sollen der geliebten Jugend sagen, wieviel Vaterliebe der Heilige Vater für sie hat, welch frohe Hoffnungen Er auf ihre Kongregationen setzt, und wie dringend Er erwartet, dass sie sich führen lassen nach dem althergebrachten Ideal des wahren marianischen Sodalen, ihrem Vorbild und Lehrmeister, dem engelgleichen Aloysius von Gonzaga.

Mit Freuden komme ich der hohen Aufgabe nach, die mir Seine Heiligkeit anvertraut hat, Euer Gnaden Seine Wünsche und Gedanken zur Kenntnis zu bringen, und mit Freuden benütze ich die Gelegenheit dieses Schreibens, um mich mit besonderer Hochachtung Euer Gnaden zu empfehlen.

Euer bischöfl. Gnaden ergebener Diener
Kard. Gasparri.

Latina interpretatio:

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Particulari cum gaudio Beatissimus Pater certior factus est, decurrente Octava Assumptionis B. Virginis, permultos directores dioecesanos et locales Congregationum Marianarum, praesertim ex Austria, Germania, Helvetia, Hollandia in istam urbem sub praesidio Excellentiae Tuae conventuros esse.

Sanctitas Sua, considerans quam salutare sit consilium huius coetus, quantique momenti pro maiore in dies emolumento florentium iam Congregationum Marianarum istius regionis, cupiensque ut hac occasione non desit verbum Suum exhortatorium, mihi benigne mandavit, ut exprimerem Excellentiae Tuae amplissimam Suam approbationem cum augurio pro eius felici successo.

Augustus Pontifex optime novit organizationem et statum actualem magnificum istarum Congregationum; sed maxime Ipsi consolationi est spiritus supernaturalis quo informantur et pervaduntur, quique iuvenibus sodalibus tam solidam pietatem et fortitudinem characteris confert ut suo tempore fiant exempla fulgida virtutis et, data occasione, etiam martyres, sicuti his temporibus accidisse vidimus in Republica Mexicana. In memoriam revocare reapse iuvat

quomodo die 3 ianuarii huius anni in urbe León tamquam victimae persecutionis quattuor iuvenes ceciderunt acclamantes " *Christum Regem* „, qui pertinebant omnes ad Congregationem Marianam quam Societas Iesu secundum suam antiquam traditionem in illa urbe erexerat et dirigebat: Iosephus Valencia Gallardo, Salvator Vargas, Ezechiel Gomez et Nicolaus Navarro, martyres fidei, in Congregatione mariana, schola efficacissima Matris Dei, didicerant amare virtutem et Ecclesiam, indeque hauserant heroicam fortitudinem sacrificii supremi pro Iesu offerendi.

In eadem schola bene directa secundum sapientes leges et sanctas traditiones, etiam dilecti iuvenes terrarum centralis Europae easdem virtutes discent et evadent propugnatores fidei quando Dominus ab ipsis poposcerit sacrificium. Nam, ut Congregationes floreant, constat maximi momenti esse quod directores sciant eas bene dirigere et gubernare, ita ut earum salutaris in societatem influxus maximam partem ab opere directorum dependeat. Qui norunt prudenter dirigere pretiosas energias erumpentes ex anima iuvenili, absque dubio e iuvenibus obtinebunt quantum desiderant; non solum pietatem internam et individualem sed etiam illa opera zeli et apostolatus quae semper quasi naturales et proprii flores huius horti mystici Mariae exstiterunt.

Quapropter magnae utilitatis est quod praesides operum intrinsece consimilium inter se conveniant, tractentque varias quaestiones cum suo munere connexas, quo fit ut procedere possint uniti et absque incertitudine nimis communis inter illos qui sibi solis suaeque experientiae personali, saepe nimis angustae et insufficienti, relicti sunt.

Valde conveniens etiam apparet selectus loci istius conventus, in domo dedicata S. Petro Canisio (1), magno servo Mariae, indefesso apostolo Germaniae, qui Congregationes iam ab earum initio magni fecit, earum maximum perspexit momentum, easque in collegiis istarum urbium propagavit.

Sanctus Pater ergo utilitatem huius conventus gaudens prospicit et vota facit ut illum habeat successum, quem desiderant eius fervidi promotores et bene meritus Praeses.

Quae vota, ut efficaciora evadant utque conventus maiores ferat fructus, Augustus Pontifex ex animo impertitur benedictionem apostolicam Excellentiae Tuae, promotoribus congressus et omnibus sacerdotibus praesentibus, hisque facultatem facit hanc benedictionem quocumque die post reditum impertiendi Congregationibus, quarum directores sunt. Certiorem faciant dilectissimam iuventutem de amore paterno quo Sanctus Pater ipsos fovet, de laeta spe quam Ipse nutrit de ipsorum Congregationibus, nec non de Sua sollicitudine qua vehementer cupit ut formari se sinant secundum ideale typicum et traditum veri Sodalis Mariani, iuxta eorum exemplar et magistrum, angelicum S. Aloisium Gonzaga.

Magno afficior gaudio dum haec Sanctitatis Suae iussa exsequor, itemque libentissime hac occasione utor ut Excellentiae Tuae addictissimum me profitear.

Ex aedibus Vaticanis, die 2 aug. 1927.

Excellentiae Tuae humilis servus
P. Card. Gasparri.

(1) Consessus habebatur in convictu theologico nostro a S. Petro Canisio appellato in urbe Oeniponte (Innsbruck).

III.

R. P. HERMANNUS WALMESLEY

OLIM ANGLIAE ASSISTENS

(† 22 IAN. 1927).

R. P. Hermannus Walmesley die 9 februarii 1850 natus est in Lancastria, Angliae regione ob suam in catholica fide firmitatem notissima.

Ex clara Walmesley familia nonnulli identidem in Societatem cum antiquam tum renatam ingressi sunt, inter quos P. Henricus, Hermanni nostri patruus, Collegio Saxosylvano (Stonyhurst) praefuit Rector, deinde Socius Praepositi Provincialis aliquot annos fuit. In Collegio autem Saxosylvano, sin minus plures, saltem aliquis ex illa familia adolescens, ab anno 1795 ad nostra usque tempora fere non intermissa serie numeratus est. Etiam Hermannus noster eiusdem Collegii alumnus, isque pius et diligens, fuit ab anno 1860 ad 1867.

Societatem ingressus die 18 decembris 1867, peractis studiis philosophicis, ad idem Saxosylvanum Collegium magister mittitur, ac rursus post sacerdotium (24 septembris 1882) et tertiam probationem illuc revertitur, Rector anno 1891 renuntiatus. In eo munere cumulatissime omnium votis satisfecit, addito etiam Consultoris Provinciae officio, usque ad annum 1898. Exinde in Missionem Zambesianam missus, promptissime, ut semper, paruit, ibique Collegium S. Aidani apud urbem Grahamstown novis extructionibus et eximia disciplina (erat enim Rector simulque studiorum Praefectus) instauravit ac provexit.

Post octo regiminis annos revocatus in Angliam, vix Socium Magistri Novitiorum agere coeperat, cum, R. P. Iacobo Hayes die 28 maii 1907 Romae vita functo, eius loco die 16 iulii eiusdem anni Angliae Assistens ad normam Instituti suffectus est. A Congregatione Generali XXVI anno 1915 hoc in munere confirmatus, illo diligentissime maximaque cum fidelitate functus est donec, deficientibus propter aetatem viribus, litteris die 6 octobris 1923 datis, Patrem Nostrum rogavit, ut ipsi facultatem

deponendi officium a Congregatione Generali XXVII, quae tunc celebrabatur, impetraret (1). Re in conventu diei 8 octobris mature agitata, humili optimi senis petitioni annuendum censuit Congregatio, non tamen sine moeroris significatione simul cum gratiarum actionibus ob diuturnos labores in Societatis bonum ab illo susceptos (2). Proximo autem die 17 octobris, novo Angliae Assistente R. P. Iosepho Welsby electo, et post duos menses expleta Generali Congregatione, Pater Noster, intimum Patris Walmesley desiderium Romae moriendi interpretatus, eum in nostra Curia retinuit, quod Pater pro magno beneficio se habuisse ad finem usque semper ostendit.

Assiduus Nostrorum domi et complurium Anglorum in templo SS. Nominis Iesu confessarius fuit, variisque industriis ingenuam qua ipse fruebatur pietatem in aliorum quoque animis fovendam curabat; sacrarum autem indulgentiarum thesauri ut ab omnibus digne aestimarentur, plurimis in vulgus sparsis scidulis, indefesso studio contendit.

Anno 1925, medio mense iunio, aegrotare coepit eoque debilitatis, processerat ut, die 24 illius mensis, morientium Sacramentis, tota adstante communitate, rite munitus, supremo agoni proximus omnino visus sit; sed, Deo favente, paulatim convaluit ita ut post mensem communia exercitia iam sequi posset. Verum, pelle tantum et ossibus fere constans, magna virium imbecillitate deinceps nunquam non laboravit, quamquam corporis infirmitatem vigore spiritus sustentabat.

Demum, hoc anno 1927 ineunte, epiphora tussique correptus, die 19 ianuarii lecto decumbere coactus est, sed nihil eius finem tam proximum esse denuntiabat. At post duos dies, rapido gressu ad mortem properare visus, ad aeternitatem hilari vultu se parare coepit. Sed ne tunc quidem res imminere putabatur, ita ut,

(1) En harum litterarum exemplar ex Actis mss. Congr. Gen. XXVII, sess. 23, desumptum:

" 6 oct. 1923. — Admodum Rev. Pater Noster, P. C. — Re bene perpensa coram Domino, ob meam aetatem iam provectam, ob meas vires corporales quae in dies fiunt debiliores ideoque vix pares futuris laboribus post hanc nostram Congregationem, et ob bonum maius ac universalius nostrae Societatis, humillime peto a Paternitate Vestra ut mihi dignetur obtinere a Congregatione gratiam deponendi munus meum Assistentis Angliae. — Paternitatis Vestrae, infimus in Christo servus, Hermannus Walmesley S. I. „.

(2) Cfr. *Statuta Congr. Gen. XXVII*, decr. hist. n. 6 (*Acta Rom.*, vol, IV, pag. 10).

ipso assentiente, ad matutinas proximi diei horas Sacramentorum collatio remitteretur, eo magis quod SS. Christi Corpus eo die iam mane receperat. Ea tamen nocte praeter infirmarium etiam R. P. Angliae Assistens illi adstare voluit, ut cuilibet nec opinato causi praesto esset. Et sane Deo inspirante id factum esse dicendum est: nam, media nocte vix transacta, dum optimus senex maxima cum animi serenitate paululum se quiescere velle dictitat, ad extremum vitae habilum pervenisse cernitur. Sacro Oleo statim inunctus, animam tranquillus Deo reddidit ineunte die 22 ianuarii, aetatis anno 77, Societatis 60. Paulo ante mortem, eidem Patri Assistenti id roganti benedicens ab eoque vicissim benedictione accepta: " Si nunc, — inquit, — Domini tempus est, mihi profecto optimum est „. Postrema fere eius verba haec fuere, e quibus evangelicus ille servus bonus et fidelis proditur, quem cum venerit Dominus eius invenit vigilantem.

Vir erat discretionis dono non ordinario praeditus, in negotiis tractandis versatus, ad agendum cum aliis idoneus, fovendae paci et concordiae addictus, Societatis bonique communis amantissimus, Regularum custodia in exemplum conspicuus. Cernebatur in eo orationis studium et ingenuus quidam animi candor ac modestia angelica, quo fiebat ut omnium animos ad se alliceret ac venerandus haberetur. Itaque desiderium sui maximum reliquit.

R. I. P.

IV.

R. P. EDUARDUS FINE

GALLIAE OLIM ASSISTENS

(† 13 MAII 1927).

R. P. Eduardus Fine ortus est Massiliae die 28 maii 1847. Ab infima grammatica ad philosophiam usque nostri Collegii Mongrensis pius ac diligens alumnus fuit. Societatem iniit die 1 septembris 1865 Claromonte (Clermont), ubi tunc Domum probationis Provincia Lugdunensis habebat. Anno 1869 Parisios missus est mathesi sublimiori operam daturus, quam disciplinam deinde, a Paschate anni 1870 ad finem anni 1874, in Collegiis Mongrensi et Avenionensi cum laude docuit. Philosophiae biennio recolendae in Collegio Valsensi Provinciae Tolosanae (1873–1875) applicatus, mox Aquas Sextias (Aix) petiit ubi theologiae studuit (1875–1879), et sacerdotio ibidem initiatus est die 15 iunii 1878. Antequam tertiam probationem perageret, tres annos rursus in suae Provinciae Collegiis docuit simulque ad baccalaureatum in litteris et scientiis adipiscendum cum felici exitu se paravit; quin et Praefectus studiorum Collegii Massiliensis annum fuit. Scholam demum affectus mense octobri 1882 Morovillae (Mourville) frequentare coepit, peritissimo nactus duce ac magistro P. Paulo Ginhac, qui Rectoris simul et Instructoris muneribus in illa domo tunc fungebatur. Verum, mense februario 1883 ab illo sacro secessu revocari debuit, ut Collegii cuiusdam dioecesani, quod in pago Valréas intra Avenionensis archidioeceseos fines tunc exstabat, praesidem legalem coram Gubernio ageret; sed tertiam probationem ibi privatim persequi sategit.

Eodem anno 1883 die 5 septembris Collegium Lugdunense regendum eiusque studia moderanda suscepit et utroque munere sex annos functus est. Die autem 15 augusti 1884 Lugduni coram Praeposito Provinciali R. P. Stephano Clairet sollemnem quatuor votorum professionem emisit.

Ad altiora regimina vocatus, Rector Collegii Nostrorum Moldensis, quod Provincia Lugdunensis pro suis philosophis et theo-

logis in Anglia habebat, die 18 augusti 1889 renuntiatus est, simulque mathesis primum, deinde theologiae moralis lector fuit; post sex annos, die 25 augusti 1895, totius Provinciae administrationem suscipere iussus est.

His in muneribus quantum se omnibus probaverit vel inde apparet quod, vita functo Romae die 22 februarii 1900 R. P. Francisco Grandidier Galliae Assistente, Adm. R. P. Ludovicus Martin de Lugdunensi Praeposito ei sufficiendo cogitavit. Re cum reliquis PP. Assistentibus agitata, nomen P. Eduardi Fine in Galliae Assistentem eligendi omnibus Provinciarum Praepositis ad normam Instituti approbandum proposuit, addita etiam, ut fieri solet, compendiosa ipsius notitia, in qua haec inter alia legebantur :

" Virtute ac doctrina rite exercitatus, bene instructus ac plane probatus, iuventuti probis moribus bonisque artibus informandae diu praefuit, pluresque per annos Collegia duo ac Theologorum Nostrorum Seminarium rexit, quas omnes commissas sibi partes ad Instituti normam religiosissime obeundas curavit. Potissimum vero sui specimen dedit Provinciae Lugdunensis Moderator. Quo in munere se praebuit non vulgaris prudentiae et consilii virum, legum rerumque nostrarum observantem, constanti religiosae disciplinae studio, negotiorum tractandorum experientia atque industria, praeclara in omnes charitate ac benevolentia prorsus commendandum. Aetate praeterea nec provectus neque immaturus, corpore bene valens bonisque pollens viribus, merito spem facit, fore ut eius opera, quae Provinciae Lugdunensi cum tribus suis Missionibus, quas ipsemet saepius lustravit, tam multa attulit commoda, non mihi solum, sed Assistentiae Galliae ac Societati universae perutilis sit futura „.

Affirmativis omnium Praepositorum responsis acceptis, Pater Fine Galliae Assistens die 24 aprilis 1900 nominatus est et Romam venit, ubi fere viginti tres annos sanctissime degit: nam in eodem munere a Congregationibus Generalibus XXV (anno 1906) et XXVI (anno 1915), addito etiam ab hac Admonitoris Generalis officio, confirmatus est. Hanc autem XXVI Congregationem Generalem indicere et usque ad novi Praepositi Generalis electionem moderare ipsi contigerat: mortuo enim Adm. R. P. Francisco Xaverio Wernz die 20 augusti 1914, schedula ab eodem Praeposito Generali relicta secundum morem coram Professis Romae degentibus reserata, Pater Fine inventus est designatus Vicarius

Generalis (1); ceterum etiam postremis hebdomadis quibus R. P. Wernz gravius aegrotabat, hic ad suas vices gerendas Patrem Fine delegaverat (2). Congregatione vero feliciter expleta, cum ob bellicas perturbationes Pater Noster Roma discedere coactus esset, idem Pater Fine a die 21 maii 1915 Praepositi Generalis vices in Urbe aliquot menses iterum gessit (3), donec die 4 augusti illius anni simul cum aliis Assistentibus et maiore Curiae parte apud Patrem Nostrum in pagum Helvetiae Zizers nuncupatum se recepit, ibique, exceptis aliquot mensibus quibus anno 1918 (4 mart.–30 aug.) ob negotia Romae fuit (4), usque ad ineuntem annum 1919 permansit.

In Urbem cum tota Curia reversus, utrumque Assistentis et Admonitoris munus consueta fidelitate portare satagebat; sed, cum ob senescentem aetatem et debilitatas vires, tempus quod ipsi superasset non iam ut alias dilectis de Instituto studiis dedicare posset, insigni cum humilitate Patri archivi nostri custodi in conficiendis regestis adiutorem sese obtulit et plurimas tabularii schedulas diligentissime conscribere coepit.

Indicta vero Congregatione Generali XXVII, tempus advenisse sibi persuasit ad officia sua quantum in se esset deponenda, et has dedit ad Patrem Nostrum litteras:

" Admodum Reverende Pater. — Debilitatio virium mearum, tum mentalium, tum physicarum, commonefaciunt me iam imparem esse officio a Societate commisso. Accedit, inter alia plura, me res et personas Galliae non satis cognoscere. Rogo ergo Paternitatem Vestram ut velit dimissionem meam Congregationi offerre, ut meo loco alium in duplici Assistentis et Admonitoris munere eligat. Paternitatis Vestrae filius addictissimus.— Ed. Fine S. I. — Die Assumptae B. M. V., 1923 „ (5).

Quam petitionem cum Pater Noster die 8 octobris eiusdem anni Congregationis Generali iudicio una cum simili postulatione R. P. Hermanni Walmesley, Angliae Assistentis (6), subiecisset, "utrique postulationi (ut legitur in Actis illius conventus) annuendum quidem censuit Congregatio, non tamen sine moeroris si-

(1) *Acta Rom.*, vol. I, 1914, pp. 42, 85.
(2) *Acta Rom.*, vol. I, 1914, pp. 28, 29, 82.
(3) *Acta Rom.* vol. II, 1915, pag. 64.
(4) *Acta Rom.* vol. II, 1918, pp. 634, 639.
(5) Ex *Actis* mss. sess. 23 Congr. Gen. XXVII.
(6) V. supra, pag. 91.

gnificatione simul cum gratiarum actionibus erga duos venerandos Patres qui tantopere in Societatis bonum adlaborarunt „ (1).

Cum autem proximo die 17 octobris novus Galliae Assistens R. P. Norbertus de Boynes electus esset, statim Pater Fine ei cubiculum suum cedere voluit, nec facile induci potuit ut ad finem usque comitiorum ibi permaneret.

Neque praetermittendum id quod optimus senex in ultima Congregationis actione praestitit quodque ipsis *Actorum* verbis exscribemus:

" ... Tunc assurgens P. Eduardus Fine, ex ordine Assistentium et Provincialium antiquissimus, et Galliae Assistentis atque Generalis Admonitoris muneribus proxime defunctus, omnium nomine gratias egit P. Rectori Collegii Germanici et Hungarici omnibusque alumnis, quorum beneficio nobis licuit sine ulla festinatione haec habere in Urbe comitia, dum ipsi ruri, hiberno iam nunc tempore, degerent. Maximas quoque gratias prosecutus est agere Patri Nostro cum pro eximia in filios caritate, tum pro incredibili fere diligentia qua Congregationis labores adparavit, adparatosque perfecit, quibus denique sperandum foret vellet pientissime Deus coronam imponere, omnibus vires tribuens ad opere complendum quod lege sancitum fuisset „ (2).

Eo ipso die 21 decembris 1923, quo Generali Congregationi finis impositus est, Pater Fine, publica defectuum accusatione in triclinio sponte facta, Urbem reliquit et in suam Lugdunensem Provinciam rediit. Antequam domo discederet, horologium Superiori detulerat, quippe quod ante viginti tres annos non secum e Gallia attulisset, sed Romae ei datum esset; verum, a Superiore ei rursus oblatum, ad modum eleemosynae accepit.

In Provinciam reversus, ingenua cum animi demissione Praeposito Provinciali ad quodvis vel humillimum officium se paratissimum esse professus est. Rebus spiritualibus Lugduni praefectus, ad finem usque assiduus pro viribus Nostrorum, alumnorum aliorumque omnium sive ad se accedentium sive templum S. Bonaventurae frequentantium confessarius fuit. Exercitia quoque Spiritualia identidem, Nostris praesertim, explanabat, itemque collationibus casuum praeerat.

(1) *Statuta Congr. Gen. XXVII*, Decr. hist. n. 6, § 2 (*Acta Rom.*, vol. IV, p. 10).

(2) Ibid. n. 19 § 2 (*Acta Rom.*, vol. IV, pag. 18).

Eius autem ex hac vita discessio sine ullius incommodo, ut ipse optaverat, evenit. Oculis fere captus et auribus valde impeditus, integris tamen corporis viribus pro aetate valebat. Biduo ante mortem, die 11 maii, per tres horas confitentibus adfuit, ut solebat: postridie, quamvis praeter morem defatigatus, Missam celebravit; mox, iussus, lectum petiit. Die sequenti, 13 maii 1927, qui dies B. Roberti Bellarmini festus erat, propter peculiarem devotionem in Beatum litare volebat, sed inhibitus est; et sane medicus vocatus peripneumoniam detexit: laborabat etiam cordis debilitate. Accedente autem syncope, statim, ac plene sui compos, Sacro Oleo est inunctus. Hora 10 $^1/_4$, altera syncope superveniente, vix absolutus, sine agone, e vivis ereptus est, vel melius ut sperare fas est inter vere vivos traiectus. Aetatis annum agebat 80, Societatis 62.

Vix dici potest quam altam suae virtutis, ne dicam sanctitatis, aestimationem post se reliquerit, potissimum in nostra Curia, ubi tam diu vixit. Disciplinae domesticae diligentissimus, omnem singularitatem studiosissime vitabat. Singularis tamen ac penitus ad exemplum fuit eius assidua cum Deo coniunctio et oratio ad longum tempus producta. Mortificationi addictissimus, semper summo mane ante omnes surgebat et nisi ab obedientia prohibitus esset, etiam hoc ultimo anno ieiunia maiora, ut semper solebat, peregisset. Eximia prudentia praeditus ac dono consilii, quam supra audivimus a R. P. Martin de eo conceptam spem nunquam fefellit, atque adeo superavit: multa propterea assistentiae suae commoda, multa Societati universae attulit. Eius vero caritas in omnes sine personarum acceptatione effusa et constans animi vultusque serenitas ab omnibus qui eum noverunt praedicantur.

Omnia munera sibi commissa religiosissime obivit ad normam Instituti; cuius cum peritissimus et amantissimus esset, egregium de eo opus scripsit, quod omnibus Nostris profecto notum est; "Ius regulare Societatis Iesu" (1).

Memoria tanti viri carissima in Societate diu perdurabit et optandum ut plenior de eo historia ad communem aedificationem conscribatur.

R. I. P.

(1) *Iuris regularis tam communis quam proprii quo regitur Societas Iesu declaratio, auctore Eduardo Fine eiusdem Societatis Sacerdote.* — Prato, Typ. Giachetti, 1909.

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

I

CHRONICON CURIAE SOCIETATIS

A 1 IULII AD 31 OCTOBRIS 1927.

12-21 iul. — R. P. Armandus Poirier (Prov. Camp.), Superior regularis et Relator Missionis Fianarantsoanae in insula Madecassensi, hospitio recipitur.

13-21 iul. — Hospitem habemus P. Gerardum Schmedding (Prov. Neerl.), Rectorem Collegii Moentilanensis in insula Iava et Relatorem Missionis Bataviensis.

15-29 iul. — Nobiscum degit R. P. Ieremias Sullivan (Prov. Hibern.), Superior regularis et Relator Missionis Australiae.

15-24. — R. P. Eugenius Thibaut (Prov. Belg.), nuper Missionis Kwangensis in Africa Visitatoris munere functus (1), cum Patre Nostro acturus in Curia versatur.

17-23 iul. — P. Iosephus Van Wing (Prov. Belg.), ex eadem Missione Kwangensi ad Congregationem Provincialem loco R. P. Superioris in Belgium missus, de rebus suae Missionis acturus nobiscum aliquot dies moratur (2).

18-25 iul. — Hospitio recipitur R. P. Abel Dides (Prov. Lugdun.), Superior regularis et Relator Missionis Syriae.

23 iul. — Ad faustissima quaeque Patri Nostro in crastinum diem festum S. Wlodimiri ominanda, Eminentissimus Cardinalis Petrus Gasparri, a Secretis Status, domum venit peculiarem quoque Summi Pontificis benedictionem allaturus.

24-31 iul. — Hospites habemus R. P. Prosperum Malzieu (Prov. Baet.) et P. Antonium Medina (Prov. Tolet.), alterum Missionis Aequatorianae Superiorem regularem et Relatorem alterum Relatorem Missionis Peruvianae.

27 iul.-1 aug. — R. P. Stephanus Fourcadier (Prov. Tolos.), Superior regularis et Relator Missionis Tananarivensis in insula Madecassensi, domi nostrae versatur.

(1) V. supra, pag. 53.

(2) V. supra, pag. 83

28 iul.-1 aug. — P. Petrus Boetto Procurator generalis, P. Eduardus Goulet Secretarius pro Missionibus eiusque adiutor P. Hermannus Haeck, Assisium se conferunt ibique quatuor dies morantur, ut Societatis personam gerant in quodam missionali conventu a Fratribus Minoribus indicto.

1 aug. — P. Antonius M. Stravino, Oeconomus generalis, ad novam Curiae domum se transfert ibi deinceps habitaturus.

1-31 aug. — P. Iosephus Boubée, Apostolatus Orationis Moderator generalis delegatus, in Gallia toto hoc mense degit, ad negotia illius operis peragenda.

2 aug. — In villam Tusculanam abimus, quo conveniunt etiam (uno alterove excepto) Patres Fratresque ad novam Curiae domum iam transmigrati. — Quidam Patres tamen, ad id ius habentes, Romae aliquot dies remanserunt, ut Congregationi Provinciali Romanae interessent. Hi erant: Procurator et Oeconomus generales, PP. Coemans, Huarte, del Portillo, Sautu; P. Secretarius vero et PP. Boubée ac Restrepo a Patre Nostro dispensati fuerant.

2-20 aug. — Ruri hospitem habemus P. Carolum Silva Tarouca (Viceprov. Cechoslov.), in Universitate Gregoriana historiae ecclesiasticae Lectorem.

2-27 aug. — Item ruri hospitio recipitur P. Ioannes Hanssens (Prov. Belg.), in eadem Universitate Gregoriana liturgiae Lector.

6 aug. — Tusculum veniunt Patres qui Congregationi Provinciali Romanae intererant.

6 aug.-17 sept. — P. Ioannes Busnelli (Prov. Ven.), Scriptor ephemeridis « Civiltà Cattolica », ruri nobiscum versatur.

9 aug. — R. P. Iacobus Carlin (Prov. Nov. Angl.), Superior regularis et Relator Missionis Philippinarum (Prov. Maryl.-N. Eb.), Tusculum venit cum Patre Nostro acturus: die *13 aug.* Romam petit, indeque die *21 aug.* in Philippinas rediturus abit.

14 aug. — Pater Noster Tusculo Romam redit.

15 aug. — Romae in templo SS. Nominis Iesu Pater Noster excipit sollemnem quatuor votorum professionem PP. Raphaelis Bitetti (Prov. Rom.) et Eduardi Iglesias (Prov. Mexic.).

16 aug. — Pater Noster cum Fratre Socio Aemilio Herrero Neapolim petit, ut in Collegio Maximo Pausillippensi aliquot hebdomadas quiete fruatur et vires ad proximam Procuratorum Congregationem necessarias comparare possit (1).

7 sept. — P. Renatus Fraeys (Prov. Belg.), Ministri munere in Universitate Gregoriana nuper functus, ad idem munus in nostra Curia agendum designatus, hodie advenit: post aliquot dies in novam

(1) V. supra, pag. 60.

domum se transfert, ibique paulo post officium suum init, eius vices in antiqua domo adhuc supplente P. Ioanne M. Restrepo (1).

7-8 sept. — Tusculi hospitem habemus P. Aloisium Laurand (Prov. Franc.).

9-16 sept. — Exercitia Spiritualia tota communitas peragit.

10 sept. — Neapoli Romam redit Pater Noster cum Fratre Socio.

12-17 sept. — R. P. Petrus Lenz, Praepositus et Relator Viceprovinciae Brasiliae Meridionalis, Romae in Curia versatur cum Patre Nostro acturus.

13 sept. — Pater Noster in Campo Verano effodiendis ossibus patrui sui Cardinalis Miecislai Ledóchowski cum P. Edmundo Elter adest (2).

14 sept. — Eminentissimum Cardinalem Ludovicum Billot (Prov. Franc.), se sacra purpura abdicantem, Pater Noster Ariciam in Domum probationis Provinciae Romanae prope templum B. M. V. in Valle Aurea (Galloro) comitatur (3).

19 sept. — Tusculo Romam redimus.

19 sept.-5 oct. — P. Iosephus Bergin, Relator Viceprovinciae Canadae Superioris, nobiscum commoratur.

20-26 sept. — Adveniunt omnes Provinciarum Procuratores (4): pro P. Paschali Borrello, Procuratore Siculae legitime impedito, venit eius Substitutus P. Antonius Leanza.

20-27 sept. — R. P. Methodius Riák, Praepositus et Relator Viceprovinciae Cechoslovacae, hospitio recipitur.

22 sept.-1 oct. — Hospitem habemus R. P. Antonium Prešeren, Praepositum et Relatorem Viceprovinciae Iugoslaviae.

23 sept.-1 oct. — Domi versatur R. P. Aloisius Baecher (Prov. Lusit.), Superior regularis et Relator Missionis Brasiliae Septemtrionalis.

25 sept.-10 oct. — Nobiscum commoratur P. Aloisius Riou, Relator Viceprovinciae Brasiliae Centralis.

27-30 sept. — Congregatio Procuratorum celebratur (5).

1 oct. — Pater Noster cum PP. Assistentibus et Provinciarum Procuratoribus aliisque supra recensitis (6) Summum Pontificem adit.

1-13 oct. — Omnes Provinciarum Procuratores paulatim in suas Provincias redeunt (7).

(1) V. supra, pag. 50 (*25 apr.*).
(2) V. supra, pag. 60.
(3) V. supra, pag. 61.
(4) V. supra, pag. 80.
(5) V. supra, pp. 77–83.
(6) V. supra, pp. 59. 81.
(7) V. supra, pag. 81.

9-13 oct. — Domi adest P. Paulus Doncœur (Prov. Camp.) ob negotia a Patre Nostro vocatus.

11 oct. — P. Henricus Dubois, Adiutor Secretarii pro Missionibus, qui aestivis mensibus in Gallia et Belgio fuerat, Romam redit.

16 oct. — R. P. Ferdinandus Willaert, Praepositus Provinciae Belgicae, qui per duos annos Indicas Missiones Calcuttensem, Gallensem, Trincomaliensem, Patnensem visitavit (1), Patrem Nostrum de peracta visitatione allocuturus adest et aliquot hebdomadas nobiscum morabitur.

19-20 oct. — P. Iosephus Rosan, Socius Praepositi Provinciae Venetae idemque Provinciae Procurator, ad negotia agenda Patrem Nostrum adit.

20 oct. — P. Henricus van der Hulst, Ministri munere in nostra Curia functus, in suam Neerlandicam Provinciam redit. — PP. Edmundus Elter, Gabriel Huarte et Ioannes B. Goetstouwers in novam domum se transferunt.

20 oct. — P. Vincentio Prosperi (Prov. Rom.), Collegii Germanici et Hungarici Procuratori, quinquagesimum ab inita Societate annum hodie explenti, cum Collegii communitas et alumni nondum rure redierint, nos fraterna laetitia gratulati sumus.

23 oct. — RR. DD. Paschalis Diaz S. I. (Prov. Mexic.), Tabasquensis Episcopus a sua sede expulsus, qui e Statibus Foederatis nuper Romam rursus venit (2) et Collegii Pii Latini Americani aliquot dies hospes erit, hodie apud nos divertit.

24 oct. — R. P. Henricus Carvajal (Prov. Legion.), Provinciae Toletanae Visitator, de peracta visitatione relaturus in Urbem venit et aliquot hebdomadas apud nos versabitur.

27 oct.-2 nov. — R. P. Felix Mollat, Provinciae Praepositus, ob negotia hospes recipitur.

27 oct.-3 nov. — Item R. P. Dominicus Prestifilippo, Provinciae Siculae Praepositus.

31 oct. — P. Gulielmus Kea (Prov. Neerl.), Moderatoris generalis delegati Apostolatus Orationis Adiutor designatus, hodie Romam pervenit et Curiae nostrae cooptatur, in nova domo degens.

(1) V. supra, pag. 53.
(2) V. supra, pag. 50.

Status Curiae Societatis Iesu

DIE 1 NOVEMBRIS 1927.

A. R. P. N.
WLODIMIRUS LEDÒCHOWSKI
PRAEPOSITUS GENERALIS
A DIE XI FEBRUARII MCMXV

Via S. Nicola da Tolentino, 8 — Roma (30).
(Pro telegramm., Gisa — Roma)
Ii qui asterisco notantur, habitant iam nunc in nova domo:
Borgo S. Spirito, 5 - Roma (13).

P. Franciscus de Paula Nalbone, *Assist. Ital., Vicesup. dom.* . . . . Prov. Sic.
P. Rudolphus van Oppenraaij, *Assist. German., Admon., Conf. dom.* . . . . „ Neerl.
P. Norbertus de Boynes, *Assist. Gall., Praef. valet., Conf. dom.* . . . . „ Franc.
P. Iosephus Barrachina, *Assist. Hisp., Praef. spir., Conf. dom.* . . . . „ Arag.
P. Iosephus Welsby, *Assist. Angl., Conf. dom.* „ Angl.
P. Aemilius Mattern, *Assist. Amer., Conf. dom.* „ Neo-Aurel.
P. Iosephus Demaux-Lagrange, *Secr. Soc., Cons. dom. an. 2.* . . . . „ Tolos.
P. Petrus Boetto, *Proc. Gen., Conf. dom., Cons. dom. ann. 5.* . . . . „ Taur.
* P. Antonius M. Stravino, *Oecon, Gen., Conf. dom., Cons. dom. an. 4.* . . . . „ Neap.
* P. Renatus Fraeys, *Min., Proc., Praef. sac. dom., Cons. dom. an. 1.* . . . . „ Belg.
P. Azzolini Hilarius, *Subsecr. Soc., Cur. « Acta Rom. » et « Memorab. S. I., » Praef. lect. ad mens.* „ Ven.
* P. Basterra Petrus, *Cons. aedilic.* . . . . „ Castell.
P. Battiston Aegidius, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Ital., Expl. med. FF. CC. per vic.* . . . . „ Ven.
* P. Boegle Albertus, *Praes. Secretariat. Congr. Rom.* (1). , ... „ Austr.
* P. Boubée Iosephus, *Dir. Gen. deleg. Apost. Orat.* „ Tolos.
P. Ciaurriz Marius, *Subst. 1 Secr. Soc. pro Assist. Hisp., Expl. med. FF. CC. per vic.* . . . „ Castell.
* P. Codina Arthurus, *Subdirect. et Script. oper. « Monumenta hist. S. I., » Par. edit. Constit.* „ Arag.

(1) V. tamen supra, pag. 50 (5 *apr.*).

P. Coemans Augustus, *Parat. edit. Inst. recogn.* Prov. Belg.
P. Corradi Fortunatus Stephanus, *Adiut. cur. « Acta Rom. » et « Memorab. S. I. »* . . „ Ven.
P. Coyne Ioannes, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Angl.* . . . . „ Hibern.
P. Donnelly Thomas, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Amer.* . . . . „ Missour.
* P. Dubois Henricus, *Adiut. Secr. pro Mission., Script.* . . . . „ Camp.
* P. Elter Edmundus, *Adiut. Secr. Soc., Lect. eth. in Univ. Gregor.* . . . . „ Pol.M.et Maz.
P. Fabbri Silvius, *Rev. gen. libr. (Via G. Belli, 3 - Roma, 26).* . . . . „ Rom.
P. Fajella Aurelianus, *Postul. gen. caus. NN. VV. et BB. (Piazza del Gesù, 45 - Roma, 17).* . „ Neap.
* P. Goetstouwers Ioannes B., *Archiv.* . . . „ Belg.
* P. Goulet Eduardus, *Secr. pro Mission.* . . „ Can. Inf.
* P. Haeck Hermannus, *Adiut. Secr. pro Mission., Expl. med. FF. CC. per vic.* . . . . „ Belg.
P. Höss Antonius, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Germ.* . . . . „ Germ. Sup.
* P. Huarte Gabriel, *Rev. gen. libr., Catech. FF. CC.* „ Castell.
* P. Kea Gulielmus, *Adiut. Dir. gen. deleg. Apost. Orat.* . . . . „ Neerl.
P. Kleiser Alphonsus, *Adiut. Secr. Soc. (Ignatius-College, Walkenburg, Neerlandia).* . . . „ Germ. Sup.
* P. O' Keeffe Laurentius, *Adiut. Praes. Secretariat. Cong. Mar.* . . . . „ Calif.
* P. del Portillo Henricus, *Rev. gen. libr.* . . „ Tolet.
P. Restrepo Ioannes M., *Subst. 2 Secr. Soc. pro Assist. Hisp., Praes. coll. cas.* . . . „ Columb.
* P. Sautu Iulianus, *Parat. regesta.* . . . „ Castell.
P. Villaret Aemilius, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Gall.* . . . . „ Camp.
* P. Wand Augustinus, *Praef. bibl.* (1) . . „ Missour.

COADIUTORES

Amiano Felix, *Aman., Ad. dom., Soc. exeunt.* „ Castell.
* Argemir Raimundus, *Soc. Subdirect. oper. « Monumenta hist. S. I.,» Ad dom.* . . . „ Arag.

(1) Mox Romam venturus speratur.

Arribas Antonius, *Soc. Postul. gen., Pict., Ad dom.* Prov. Arag.
Baguná Narcissus, *Aman., Ian. 2, Ad dom., Soc. exeut.* . . . . ,, Arag.
Banquells Ignatius, *Soc. 1 P. Gen., Aedit., Excit., Vis. mat. et noct.* . . . . ,, Arag.
Barlassina Ioannes B., *Sart. Cust. vest. et lint., Tons., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . ,, Ven.
Beckmann Godefridus, *Soc. 1 Adiut. Secr. Soc. (Valkenburg etc.).* . . . . . . ,, Germ. Inf.
Bellon Victor, *Aman., Ad dom.* . . . . ,, Lugdun.
Del Vecchio Vincentius, *Aman., Ad dom.* . ,, Rom.
Frontero Iacobus, *Infirm., Ad dom.* . . . . ,, Taur.
Gorostiza Franciscus, *Adiut. aedit., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . ,, Castell.
Herrero Aemilius, *Soc. 2 P. Gen., Aman., Ad dom.* ,, Legion.
Iragui Bonifacius, *Adiut. coq.* . . . . . . ,, Castell.
Kolecki Iosephus, *Cust. tricl., Ad dom.* . . ,, Pol.M.et Maz.
Lampe Maximilianus, *Aman., Soc. Praef. bibl., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . . ,, Neerl.
* Lujân Salvator, *Soc. 2 Oecon. gen., Ad dom.* ,, Tolet.
* Miranda Iosephus, *Adiut. aedit. et cust. vest. ac lint.* ,, Legion.
* Morant Iosephus, *Soc. Dir. gen. deleg. Apost. Orat., Aman.* . . . . ,, Arag.
* Mulatti Angelus, *Cur. aedif. novae Curiae.* . ,, Ven.
Oteiza Esdras, *Aman., Comp. mss. et libr., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . ,, Castell.
Otrebski Eugenius, *Soc. Proc. gen., Aman., Ad dom.* ,, Pol. Min.
* Oyen Hermannus, *Soc. Secr. pro Mission., Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . . ,, Belg.
* Prieto Iosephus, *Soc. 1 Oecon. gen., Vis. orat. et exam., Ad dom.* . . . . ,, Legion.
Przewlekly Franciscus, *Coq. Cust. pen., Cell., Ad dom.* . . . . ,, Pol.M.et Maz.
* Sangalli Iosephus, *Empt., Coq., Cell., Hortull., Excit.* . . . . ,, Ven.
Sullivan Philippus, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* ,, Missour.
* Tortosa Aloisius, *Ian., Ad dom.* . . . . ,, Arag.
Vögele Georgius, *Soc. 2 Adiut. Secr. Soc. (Valkenburg etc* . . . . ,, Germ. Sup.
Weidinger Ioannes B., *Aman., Ian. 1, ad dom., Soc. exeunt.* . . . . ,, Ven.
* Zaffalon Antonius, *Cur. aedif. novae Curiae* . ,, Ven.

Sac. 39 – Coad. 30 – Univ. 69.

II.

DE PROVINCIIS ET MISSIONIBUS.

Nominationes Pontificiae.

12 iul. 1927. — R. P. Iosephus Dinand (Prov. Nov. Angl.) titulari episcopali Ecclesiae Selinuntinae praefectus est, eodemque die Vicarius Apostolicus Iamaicae est nominatus (1). — Die *30 oct.*, in festo Christi Regis, episcopalem consecrationem recepit in Collegio Vigorniensi Sanctae Crucis (Worcester, Mass., U. S. A.), cuius hactenus Rector erat.

14 iul. 1927. — RR. DD. Henricus Doering S. I. (Prov. Germ. Inf.), hactenus Archiepiscopus tit. Madytensis et Vicarius Apostolicus Hiroshimensis in Iaponia, ad sedem episcopalem Poonensem in Indiis transfertur (2). — Quoniam vero haec translatio, ut supra dictum est (3), ob rerum adiuncta aliquid haud ordinarium habet, non abs re iudicamus integram hic nominationis Bullam Pontificiam exscribere, quae specimen quoque erit huiusmodi Sanctae Sedis documentorum:

Pius Episcopus, Servo Servorum Dei venerabili fratri Henrico Doering, hactenus Archiepiscopo Titulari Madytensi, Vicario Apostolico de Hiroshima, in Archiepiscopum Episcopum Poenensem electo, salutem et Apostolicam benedictionem. — Commissum humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum Principe officium regendi, pa cendi et gubernandi universalem Ecclesiam onus Nobis imponit diligentissime curandi, ut Ecclesiis omnibus tales constituantur Praesules, qui gregem dominicum salubriter pascere et sciant et valeant. Cum itaque Cathedralis Ecclesia Poonensis in Indiis, Metropolitanae Ecclesiae Bombayensi suffraganea, cui Tu olim Episcopus praeeras, a die tuae ad titularem Ecclesiam Archiepiscepalem Madytensem translationis, suo usque adhuc remanserit viduata Pastore, Nos, cupientes tam eidem Ecclesiae Poonensi, quam eius gregi dominico salubriter providere, eam Tibi denuo concredere censuimus. Quare Te, hactenus Archiepiscopum Madtyensem et Vicarium Apostolicum de Hiroshima in Imperio Iaponico, Apostolicae potestatis plenitudine a vinculo Ecclesiae Madytensis absolventes de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilium, in praefatam Cathedralem Ecclesiam Poonensem Apostolica auctoritate restituimus eique Episcopum iterum praeficimus et Pastorem, nec non curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Poonensi Tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie denuo committimus, cum omnibus iuribus, privilegiis, oneribus et obligationibus pastorali huic officio inhaerentibus. Ne vero

(1) *Acta Ap. Sedis*, vol. XIX (1927), pp. 280, 348.

(2) *Acta Ap. Sedis*, vol. XIX (1927), pag. 282.

(3) V. supra, pag. 66.

Tu, in episcopalem sedem Poonensem restitutus, Archiepiscopalem quem modo geris titulum amittas, Tibi peramanter concedimus, ut titulum ipsum adhuc gerere possis, ac propterea Archiepiscopus Episcopus Poonensis in posterum sis ac nuncupari valeas. Volumus autem et mandamus ut, ceteris quoque impletis de servandis, antequam sedis Poonensis possessionem capias, in manibus alicuius quem malueris catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, fidei catholicae professionem emittere ac sueta iuramenta praestare tenearis iuxta praescriptas formulas, quarum exemplaria Tui ac praefati Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad Sedem Apostolicam infra sex menses transmittenda curabis. Ad hoc Antistiti a Te electo professionem ac iuramenta illa Nostro et Romanae Ecclesiae nomine recipiendi munus ac mandatum per praesentes committimus. Per has Litteras insuper venerabilem fratrem Archiepiscopum Bombayensem, hortamur ac in Domino monemus, ut Te, electum Episcopum suffraganeum suum, in fratrem recipiat, pro Nostra et Sedis Apostolicae reverentia sui favoris ope prosequatur ac, zelo motus promovendi Dei gloriam et Ecclesiae bonum, quod Tu implores auxilium, Tibi praestare non detrectet, ut Tu possis commissum Tibi munus in bonum tuae Ecclesiae facilius explere. Dilectum item Clerum et Populum Civitatis et Dioecesis Poonensis hortamur et obligatione adstringimus, ut Te, suum electum Episcopum, tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote recipiant, debito honore prosequantur ac salubribus tuis monitis et mandatis obedientiam praestent ac reverentiam, ita ut Tu in eis devotionis filios, ipsi vero in Te patrem benevolum invenisse gaudeatis. Volumus autem et mandamus, ut cura et officio Ordinarii, qui Dioecesim modo Tibi commissam regit, hae Litterae Nostrae publice perlegantur in ipsa Ecclesia Cathedrali ab ambone, quum primus post has Litteras acceptas advenerit dies festus a populo de praecepto recolendus. Firmam autem spem fiduciamque concipimus fore ut, dextera Domini Tibi assistente propitia, Cathedralis Ecclesia Poonensis per Tuam pastoralem industriam et studium fructuosum regatur utiliter et illic vera Christi religio magis magisque in dies suscipiat incrementa.

Datum Romae apud S. Petrum anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo septimo, die decimaquarta mensis Iulii, Pontificatus Nostri anno sexto.

De mandato SS.mi
F. ANDREAS Card. FRÜHWIRTH *S. R. E. Cancellarius.*

JOSEPH WILPERT, *dec. prot. ap.*
HECTOR CASTELLI, *prot. ap.*

17 oct. 1927. — R. P. Bruno Wolnik (Prov. Pol. Min.) nominatur primus Praefectus Apostolicus novae Praefecturae de Broken Hill in Africa (1).

Nominationes Superiorum maiorum.

Administrationem suscipiunt anno 1927:

15 aug. — R. P. Claudius Chanteur, Missionis Syriae (Prov. Lugdun.) Superior regularis.

(1) V. supra, pag. 66.

29 aug. — R. P. Candidus Mendes, Praepositus Provinciae Lusitanae.

1 nov. — R. P. Ioannes Lauer, Praepositus Provinciae Germaniae Inferioris.

Mutationes in Missionum administratione.

27 apr. 1927. — Litteris Apostolicis « Nihil antiquius » territorium Malang, a Vicariatu Apostolico Bataviae et ab omonyma Missione (Prov. Neerl.) separatum, in novam Praefecturam Apostolicam de Malang nuncupandam erigitur quae PP. Carmelitis Discalceatis committitur (1).

25 maii. — Litteris Apostolicis « In omnes » territorium Chota-Nagpur ab Archidioecesi Calcuttensi separatum, in novam Dioecesim erigitur ab urbe Ranchi nuncupandum et eidem Calcuttensi Archidioecesi ut suffraganea subiicitur (2). — Nostrae tamen Missio Calcuttensis (Prov. Belg.) interim indivisa manet.

14 iulii. — Litteris Apostolicis « Ex hac sublimi » Praefectura Apostolica Zambesiana in duas Praefecturas dividitur, de Salisbury alteram et alteram de Broken-Hill nuncupandas (3). — De hac divisione deque consequenti Patris Nostri decreto die *17 oct.* lato dictum est supra (4).

Domus novae aut translatae.

PONTIFICIUM INSTITUTUM BIBLICUM :

Domus Hierosolymitana. — Pontificium Institutum Biblicum solet quotannis scientificas per totam Palaestinam excursiones pro suis alumnis promovere. Necessitas tamen persentiebatur habendi in urbe Ierusalem domum quandam ad illos alumnos excipiendos, qui diutius studiis biblicis in ipsis Terrae Sanctae locis vacare velint. Haec domus tandem aptissimo situ exstrui potuit, iamque die 1 iulii huius anni inaugurata est. Eius sacellum S. P. N. Ignatio dicabitur, qui tantopere exoptarat stabilem ibi mansionem habere. — Verum, ut supra dictum est (5), domus vix aedificata alii habitatori interea commodanda erit, Nostris iterum in alienam domum secedentibus.

(1) *Acta Ap. Sedis*, vol. XIX (1927), pag. 304.
(2) *Ibid.*, pp. 375 sq. — V. etiam supra, pp. 13 sq.
(3) *Acta Ap. Sedis*, vol. XIX (1927), pp. 376 sq.
(4) V. supra, pag. 66.
(5) V. supra, pag. 74.

PROV. ANGLIAE :

Domus Tertiae Probationis Tremeirchionensis. — In aedibus ad Sancti Beunonis quae olim Collegium Maximum recipiebant, mense septembri 1927 inita est Tertia Probatio Provinciae Angliae. — *St. Beuno's College*, St. Asaph (*North Wales*).

PROV. ARAGONIAE :

Institutum Commerciale Barcinonense. — Aucto discipulorum numero, necesse fuit ut ineunte novo anno scholari 1927-1928 hoc Institutum a Collegio et Residentia SS. Cordis separaretur; quod factum est mense septembri proximo, nova inaugurata sede novaque Nostrorum communitate constituta. — *Balmes 136-138*, Barcelona.

Sarrianense Collegium externorum et Convictus. — Quod plurimi Societatis amici iam diu optabant, nuper inchoari rursus potuit Sarrianense Collegium et Convictus; interim cum Collegio Maximo Nostrorum sub eodem Rectore est coniunctum, et solae praeparatoriae seu minores scholae institutae sunt, sed paulatim aliae addentur et Collegium sui iuris erit. — *Colegio de San Ignacio*, Sarriá - Barcelona.

PROV. AUSTRIAE :

Lavantina Domus Tertiae Probationis. — Mense septembri 1927 translata est Tertia Probatio Provinciae Austriae a Domo Viennensi seu Lainciana (Lainz - Wien) ad Sancti Andreae de Lavanttal in Carinthia et cum Novitiatu ibi iamdiu constituto interim coniuncta. — *St. Andrä*, Lavanttal (*Karnten*).

Laincii tamen apud Vindobonam mansit *Domus Exercitiorum Viennensis*, quae huc usque simul cum Tertia Probatione habebatur. — *Lainzerstrasse 136*, Wien XIII/9.

PROV. BELGICA :

Collegium philosophicum Nostrorum Lovaniense. — Ob augescentem in dies Scholasticorum numerum a Collegio Maximo Lovaniensi Auditores philosophiae in aliam domum migrare debuerunt, in pago Eegenhoven sitam, non longe a Lovanio. — *Maison des Pères Jesuites*, Eegenhoven (*Louvain*).

Godinnense Collegium et Convictus S. Pauli. — Quod ab anno praeterito parabatur, hoc anno aperiri potuit novum Godinnense Collegium et Convictus, decimumquintum illud quidem in eadem Belgica Provincia, Collegiis Missionum non computatis. — *Collège St. Paul*, Godinne-sur-Meuse.

Schola technica Leodiensis. — A Collegio Leodiensi S. Aloisii separata est Schola technica superior et in pago Angleur, ab urbe non longe distante, nova Nostrorum communitate constituta, collocata est. — *Ecole technique de Liège*, Angleur.

PROV. CALIFORNIAE :

Domus Tertiae Probationis. — Die 8 septembris 1927 inchoatus tertius probationis annus in nova domo ad id intra Californiae Provinciae fines constituta in urbe Port Townsend. Tres igitur in America Septentrionali deinceps habebuntur tertiae probationis Domus : Cleveland, Port Townsend et Poughkeepsie. — *Manresa Hall*, Port Townsend (Wash., U. S. A.).

PROV. CAMPANIAE :

Domus Exercitiorum Colmariensis. — Haec Domus a S. Francisco Xaverio nuncupata, quae adhuc a Residentia Argentinensi (Strasbourg) dependebat, deinceps sui iuris facta est sub proprio Superiore. — *Route de Bâle 3*, Colmar.

Reliqua ad alium fasciculum remittuntur.

NOTA

Quoniam, edito iam in praecedenti fasciculo Prospectu Societatis, haberi tandem potuerunt numeri ad Viceprovinciam Brasiliae Centralis pertinentes, visum est iterum hic edendum esse eundem Prospectum, additis illis numeris, ut integer Societatis status exhiberetur.

(Vide pagina sequenti).

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE
INEUNTE ANNO 1927

ASSISTENTIAE	PROVINCIAE ET VICEPROVINCIAE	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	AUGMENTUM Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
ITALIAE	Romana	135	67	63	265	2	9	7	18
	Brasiliae Centr. (Vicepr.)	48	54	28	130	—	4	1	5
	Neapolitana	112	93	69	274	4	13	2	19
	Sicula	111	69	80	260	—	4	— 1	3
	Taurinensis	170	72	51	293	— 1	7	— 1	5
	Veneta	219	97	141	457	— 4	10	9	15
	Socii Assist. Italiae	**795**	**452**	**432**	**1679**	**1**	**47**	**17**	**65**
GERMANIAE	Austriae	195	69	100	364	— 2	— 3	—	— 5
	Brasiliae Merid. (Vicepr.)	118	44	67	229	— 2	8	7	13
	Cechoslovaca (Vicepr.)	99	61	72	232	1	2	1	4
	Germaniae Inferioris	396	235	207	838	2	16	23	41
	Germaniae Superioris	238	139	127	504	— 1	2	10	11
	Hungariae	88	85	62	235	1	7	4	12
	Iugoslaviae (Vicepr.)	65	36	57	158	3	2	2	7
	Neerlandica	304	168	124	596	—	1	— 1	—
	Poloniae Mai. et Mazov. (1)	87	102	85	274	— 2	36	21	55
	Poloniae Minoris (1)	140	129	123	392				
	Socii Assist. Germaniae	**1730**	**1068**	**1024**	**3822**	**—**	**71**	**67**	**138**
GALLIAE	Campaniae	457	196	117	770	4	3	4	11
	Franciae	426	154	139	719	— 1	— 8	4	— 5
	Lugdunensis	395	161	149	705	— 5	13	— 2	6
	Tolosana	408	150	114	672	— 7	— 1	— 2	— 10
	Socii Assist. Galliae	**1686**	**661**	**519**	**2866**	**9**	**7**	**4**	**2**
HISPANIAE	Aragoniae	411	274	334	1019	9	16	2	27
	Argentino-Chilensis	160	142	146	448	— 2	11	4	13
	Baetica	168	134	118	420	— 1	12	5	16
	Castellana	350	239	280	869	4	15	1	20
	Columbiana	97	118	109	324	3	10	6	19
	Legionensis	259	190	198	647	11	—	8	19
	Lusitana	185	85	119	389	6	2	2	10
	Mexicana	200	69	78	347	6	— 2	— 1	3
	Toletana	124	125	126	375	—	10	— 7	3
	Socii Assist. Hispaniae	**1954**	**1376**	**1508**	**4838**	**36**	**74**	**20**	**130**
ANGLIAE	Angliae	456	229	127	812	— 1	2	— 1	—
	Belgica	765	464	193	1422	20	1	4	25
	Canadae Inferioris	176	165	106	447	15	— 9	—	6
	Canadae Sup. (Vicepr.)	46	94	25	165	4	7	3	14
	Hiberniae	244	185	62	491	8	4	— 1	11
	Socii Assist. Angliae	**1687**	**1137**	**513**	**3337**	**46**	**5**	**5**	**56**
AMERICAE	Californiae	251	237	95	583	17	30	— 7	40
	Marylandiae-Neo Ebor. (2)	398	420	98	916	—126	—269	— 30	— 425
	Missouriana	584	495	162	1241	33	7	— 7	33
	Neo Aurelianensis	180	110	43	333	5	3	— 1	7
	Novae Angliae (2)	152	311	29	492	152	311	29	492
	Socii Assist. Americae	**1565**	**15[illegible]3**	**427**	**3565**	**81**	**82**	**—16**	**147**
	Universi ineunte a. 1927	**9417**	**6267**	**4423**	**20107**	**155**	**286**	**97**	**538**
	„ „ „ 1926	9262	5981	4326	19569				
	Augmentum	**155**	**286**	**97**	**538**				

(1) Die 15 aug. 1926 Provincia Poloniae in duas Provincias divisa est.
(2) Die 31 iul. 1926 a Provincia Marylandiae-N. E. seiuncta est Regio Novae Angliae et in Provinciam erecta.

PROSPECTUS PROPORTIONIS

inter numerum Sociorum et eorum augmentum ineunte anno 1927

		Socii universi	Augmentum	Proportio %
Assist.	Italiae	1.679	65	4
»	Germaniae	3.822	138	3,75
»	Galliae	2.866	2	0,07
»	Hispaniae	4.838	130	2,76
»	Angliae	3.337	56	1,6g
»	Americae	3.565	147	4,30
	Universi	**20.107**	**538**	**2,75**